
ACADEMIÆ HARVARDIANÆ SIGILLUM.
1638.

# MELETEMATA PLOTINIANA,

AD CELEBRANDAM MEMORIAM ANNIVERSARIAM

## SCHOLAE PORTENSIS

ANTE HOS CCXCVII ANNOS INAUGURATAE

SCRIPSIT

Heinrich August

*D. CAROLUS STEINHART,*

PROFESSOR PORTENSIS.

HALIS,

IN COMMISSIS C. A. SCHWETSCHKII ET FILII,

1840.

Quum ante hos undecim annos primum ad historiam philosophiae Alexandrinae enarrandam animum adiecissem idque a me opus tractari in libello, quem praelusionis nomine de dialectica Plotini ratione scripsi, (Numb. et Hal. 1829) indicavissem, bene senseram, ingentem difficultatum molem superandam esse, si quis in campo inculto et fere incognito velit aliquid elaborare, quod non ad praesentis tantum temporis usum atque oblectationem, sed ad perpetuam possessionem atque utilitatem comparatum sit. Susceperam enim opus a nullo praeparatum, cuius etiam fontes aut primum aperiendi erant aut sordibus purgandi; verum iuvenili quodam ardore inflammatus et supra omnia, quae incepto meo viderentur obstare posse, elatus ad tantum opus et praeparandum et perficiendum satis me viribus instructum putabam. Mox autem idem mihi, quod aliquando Lucae Holstenio, accidit, [1]) qui cum idem opus diu molitus esset, tandem cognovit, se minimam tantum eorum partem, quae animo praemeditatus erat, perficere potuisse. Intellexi enim, nec recte cognosci posse philosophiam illam nec describi, nisi omnes Platonicorum libri collecti, emendati, explicati, in unum corpus compositi fuerint; neque mihi Asiaticorum populorum, Indorum praecipue, philosophia negligenda esse videbatur, cuius reliquiae etiam nunc ferrea quadam nocte teguntur, in quam vix doctorum quorundam Britannorum studiis [2]) rarae orientis lucis scintillae

---

[1]) Lucas Holstenius, qui cum de omni antiquitate tum de philosophia Platonica illustranda optime meritus est, in epistola ad Peirescium (ep. ad. div. p. 124. ed. Boissonade) queritur, sibi, cum de tota Platonica doctrina ad clariorem et faciliorem modum ordinemque evocanda cogitavisset, postea susceptum opus ut nimis arduum omittendum fuisse. Affert eius verba Creuzerus in prolegg. literar. de Plotino p. XXX.

[2]) Nominandus est prae ceteris H. Th. Colebrooke, on the philosophy of the Hindus, qui in commentariis societatis regiae Asiaticae anni 1824 (vol. I. part. I.) libros duos Indorum philosophorum excerpsit; quo ex fonte hausit Hegelius, quae de hac philosophia egregie disputat in praelectt. de hist. phil. opp. vol. 13. p. 145-168.

inciderunt. Maximus sane labor, cui vitam viresque impendere si licuisset, gratissimum profecto et maxime optatum fuisset opus; nunc vero, muneris publici negotiis ac gravitate ita occupatus, ut latius consilia mea et labores non possem extendere, angustiores operi fines ponere satius duxi, ne multa molitus nihil omnino assecutus esse videar. Iam enim curis Creuzeri, viri clarissimi, cuius nescio utrum magis admirandum sit ingenii acumen atque elegantia, an ingens scientiae reconditarum maxime rerum copia, qua in latissimo antiquitatis campo dominatur, Plotini Enneades, turpi per tot saecula oblivione obliteratae, et diligentissime et splendidissime restitutae sunt, ut nova et larga inde materies philologorum suppetat exercitationibus, quibus scriptores quidam multo ignobiliores quasi obrui solent. Doctrinam igitur huius philosophi, qui auctor et antesignanus merito habetur scholae istius, quam Neoplatonicam vocant, quum a plerisque aut neglectam vidissem aut iniquius iudicatam, paucis ita notam, ut veram eius dignitatem ac gravitatem senserint, peculiari opere proximo tempore edendo exponere atque omni ex parte illustrare studui. De reliquis vero Platonicis, quorum pars aliqua adhuc in bibliothecis delitescit, [3]) ceteri Creuzerum suum exspectant, iam nunc scribere velle temerarium visum est, quum, nisi ex latebris suis undique in lucem protracti, secundum optimos codices editi, collecti fuerint, neque de ipsis certius iudicium ferri possit, neque nexus, quo singula quasi membra huius doctrinae continentur, recte intelligi. Cui operi quum vix unius hominis vires sufficiant, socianda erunt eorum studia, qui Platonicae doctrinae amore incensi nihil non restitui et illustrari cupiunt, quod ad eam intelligendam pertineat. Talis vero, qualem nunc animo fingo, amicorum Platonicorum societas cuius libentius, quam Creuzeri, signa sequatur? qui vir si moderamine suo operam istam et provocare velit et dirigere, quis non tali auspice militare felicissimum et honorificentissimum ducat? Iam interim, quum in arcana Plotini penetrare eiusque de rebus divinis atque humanis sententias altius indagare instituissem, idem expertus sum, quod saepe experiuntur, quibus ut verum et nomine dignum amicum nanciscerentur contigit; nam diu quidem amicum dilexerunt et bene novisse sibi visi sunt, sed quo magis cum illo versantur, eo plures in eo virtutes inveniunt, eo cariorem habent, eo melius totum cognoscere student. Sic, quamvis iam ex prima lectione imaginem aliquam Plotini animo meo informavissem, quam veram equidem putabam, postea quo saepius legi, eo

[3]) Fiat hic mentio scriptoris cuiusdam, cuius de rebus metaphysicis liber Herennii nomine ornatus et haud ita male scriptus ante aliquot annos in codice Monacensi inventus est a Frid. Haasio, collega tum mihi coniunctissimo; quod ἕρμαιον cum primum laetus salutavissem, putabam enim, Herennii illius, qui cum Plotino Ammonii scholas frequentabat, (cf. Porphyrii vita Plotini, p. LII. Cr. et Creuzeri notam p. XCIII.) opus aliquod servatum esse, mox spe deceptus animadverti, ignobiliorem esse scriptorem et locum ei post Iamblichum assignandum, quem perpetuo et sequitur et maximis laudibus extollit.

magis cognovi, me prima tantum vidisse faciei quasi eius delineamenta, totam virtutem ac formam nondum perspexisse. Ex hoc Plotini amore studia quaedam exorta sunt, quae ad descriptionem doctrinae Plotinianae praeparandam aliquantum conferre viderentur. Primum enim quum Creuzeri editionem perlustrarem, Plotini manum saepe, non semper restitutam vidi; et quis denique solus istam corruptionis molem, qua editio unica Basileensis premebatur, removere audeat? accedit, quod vir egregius pro moderatione sua, quae haud scio an nimia interdum fuerit, vel certissimas et lectiones et emendationes in textum suum recipere dubitavit. Quamobrem multis in locis mihi emendationes obrepserunt, ubi ille aut aliter sensisse aut nimiae audaciae incusationem cavere videtur voluisse, quarum si iam aliquas vulgaverim, non dubito, quin certantia haec de Plotino suo studia benignis oculis prospecturus sit. Tum circumspicienti mihi, qua via ac ratione historia philosophiae et rite tractanda esset et recte conscribenda, non id tantum agendum visum est, ut singulorum philosophorum placita explorentur et diiudicentur, sed origines eorum accuratissime indagandas esse intellexi; nam, quidquid novi ingeniosissimi homines inveniunt, nihil ita est novum, ut non aliqua ex parte ab aliis praeparatum fuerit. Sed non solum ascendendum esse vidi ad dogmatum initia et principia reperienda, etiam descendendum cognovi in plenam illam sententiarum notionumque, quas maximi philosophi proposuerunt, vim et ubertatem, inde ut intelligatur, quos illi laboribus suis fructus suae aetatis hominibus attulerint, quos aut aemulatores aut adversarios excitaverint, quae denique ex iis in omne posterum tempus redundaverit utilitas. Nam sic demum historia philosophiae nomine digna erit historiae, cuius haud minimum est negotium, ut rerum causas rationesque exploret et quo vinculo et nexu inter se iunctae sint exponat; quam verissimam rationem quum multi, qui recentiori tempore de talibus rebus scripserunt, se sequi velle professi essent, nemo constantius et felicius persecutus est Carolo Friderico Hermanno, qui primus philosophiam Platonicam ita incepit describere, ut dignum Platone opus dicendus sit condidisse. Iam totus quidem Platonicus est Plotinus; [*]) nam Platonem summa semper pietate reveretur, hunc perpetuo, etiam ubi sua proponit, interpretari videtur, ita ut ad ipsum optima quaeque, quae ipse invenit, grato pioque animo referat, huic numquam contradicit, sed ubicunque ab eo aut discedit aut, quae ille divinatione quadam animi viderat, rectius perspexit, recon-

*) Nolim Erdmanno, viro egregio, dictum excidisse, (in annal. crit. Berol. 1840. No. 116.) ex Graecorum philosophia relegandum esse Plotinum, qui tantum a Platone distet, quantum ab Aristotele Aristotelica, quae dicebatur, Arabum doctrina; quamvis enim Plotinus interdum radios aliquos purioris lucis, quam Iesus Christus mortalium generi patefecit, medias per tenebras videatur dispicere, Platonem tamen in gravissimis rebus semper sequitur, eiusque quasi aegide armatus deformia multa superstitionum monstra tam indefessa opera repellit, ut Graecae philosophiae isto tempore vindex et patronus recte dici possit.

dita in eius doctrina veritatis semina se profitetur elicere. Sed Aristotelem quoque, quamvis eius scholam saepissime impugnet et multum a laxiori isto philosophandi genere distet, quod diversissimis doctrinis conciliandis omne sibi punctum tulisse videtur, [5]) haud raro sequitur, et, dum Aristotelicam severitatem ac subtilitatem Platonicis adhibet decretis, illo duce atque auctore adyta notionum animique humani rimari instituit. Tum cum Stoicis, Epicureis, scepticis libenter in certamen descendit, sed ita semper, ut, quae sola philosopho digna est ratio, insitam illorum placitis veritatem in lucem protrahere et falsis, quas saepe admixtas vidit, opinionibus commentisque purgare studeat; neque vero quid Aristoteli debeat, quid Stoicis, quid aliis, neque ubi has vel alias doctrinas refutatione sua et castigatione tangat, satis est exploratum. Multo minus quid ex arcana Aegyptiorum disciplina, quid a Chaldaeis et Indis, quid ab Iudaeis, quorum tunc multi Platonem in concentum cum sacris suis libris redigere conabantur, quid denique ex Christiana doctrina receperit, recte est cognitum, neque umquam penitus cognoscetur, quum celeberrimorum illo tempore philosophiae Asiaticae capitum vel memoria omnis evanuerit; [6]) quamquam etiam nunc mihi persuasum est, philosophum illum, qui Gnosticorum somnia et caliginem, qui astrologorum modo horrenda modo ridicula commenta Platonica luce et claritate fortissime propulsavit, cognovisse quidem multa, quae tum vera et falsa ex Asia in Europam iam per aliquot saecula traduci coepta erant, sed ingenii Graeci libertatem et disciplinae Platonicae puritatem nec voluisse alienis additamentis turbare nec vere turbavisse, si pauca quaedam, ubi aetatis suae superstitioni et ipse indulsit, exceperis; qua in re Iamblichum et Proclum multo aliter egisse satis constat. Denique, ut multa saepe in hominum felicioris ingenii scriptis invenimus, quae non quaesivimus, sic in Plotini libris haud pauca inesse animadvertimus, quae ad accuratiorem aliquam doctrinae grammaticae notitiam pertineant, quamvis de his rebus raro data opera exposuerit, sed passim indicaverit tantum, quae rectiorem viam monstrare possint. Neque quisquam de orationis eius genere, quod ita a literarum Graecarum existimatoribus contemni videtur, ut in tot ignobilium scriptorum numero ne nominare quidem audeant Plotinum, ea, qua par est, cura ac diligentia disseruit. Nam ut interdum dictio eius laxior sit et periodi modo tumescere videantur et nimis efflari, modo humi

[5]) Eclecticum illud, quod vocant, philosophandi genus, Kantii strenuitate atque severitate iam diu profligatum, nunc apud nos aut fallor aut novas radices agere videtur; in Gallia certe, quicunque ibi philosophiae se studere profitentur, rationem istam admodum in deliciis habent, et nuper eam vir clarissimus, quem praematura sibi morte ereptum literae Graecae lugent, van Heusde, impense commendavit in characterismis principum philosophorum veterum, Amstelod. 1839. p. 223 — 250. — Plotinum multum ab hac ratione abhorruisse ostendere iam olim studui de dial. Pl. rat. p. 11. N. 23.

[6]) Nuda enim sunt nomina Allogenis, Nicothei, Mesi, a Porphyrio allata, (vit. Pl. p. LXVI., Cr.) de quibus etiam Creuzerus se certius aliquid explorare posse desperavit.

serpere, plerumque tamen recte de eo dici potest, quod de Thucydide iudicavit Cicero, (de orat. 2, 13.) ita crebrum eum esse rerum frequentia, ut verborum quoque numerum sententiarum numero consequatur; et quum summum orationis philosophae exemplum merito laudemus Aristotelem, ut qui verbis ab ipso sive inventis sive receptis, inexhausta sua orationis varietate, qua omnes cogitationis quasi ambages, sinus, recessus et sequitur et scitissime exprimit, nervosa denique illa dictionis simplicitate, qua meras et sinceras rerum notiones enuntiat, philosophiam in omne tempus loqui docuerit, simili sane laude etiam Plotinus dignus est, qui sublimes illas regiones, in quas mens eius evolare ausa erat, dictionis sublimitate ita assequi studuit, ut saepe nobis confitendum sit, neque acutius neque gravius de talibus rebus dici posse. Iam cum tanta nobis disputationum Plotinianarum copia ac varietas suppeditet, in hoc opusculo exiguam tantum rerum illarum partem, concessi scilicet spatii angustiis pressus, pertractare potero.

# Caput I.

## Plotinus Platonis interpres.

Est regium sane munus, scriptores veteres ita interpretari, ut non syllabas tantum et verba captemus, sed reconditas eorum sententias et perscrutari et exponere studeamus. Hac rectissima interpretationis ratione iam maximos illos Alexandrinos criticos usos fuisse, ex reliquiis eorum dispersis, quae in scholiis ad Homerum, Pindarum, Aristophanem, Sophoclem, alios collectis servatae sunt multae, satis possumus iudicare. Nunc vero diuturno usu recepta et quasi sancita ista maxime luxuriat interpretatio, quae in singulis quibusdam rebus vocabulisque explicandis exspatiatur, quae quam necessaria sit, quis non videat? sed est propaedeuticum tantum aliquod, ut ita dicam, genus, et gradus infimus, quo tirones ad altiora discant ascendere. Altius iam aliud interpretandi genus attollitur, quod in enuntiatorum nexu explicando versatur, quod verborum explicat delectum ad sententias bene accommodatum, quod sententias ipsas in mente scriptoris sese excipientes ostendere studet ex iisque singula recte intelligere; neque nobis egregia huius interpretationis exempla desunt. Sed tunc demum interpres summum in arte sua assecutus esse videbitur, si supremam totius operis rationem perspexerit et ex hac singula ita illustraverit, ut admirabilem istum concentum, quo universae artificiorum praestantissimorum partes et inter se et cum toto opere egregie conspirant, vel in rebus minutissimis didicerit investigare. Hac vera et maxima interpretis arte unus omnium excelluit Dissenus ὁ μακάριος, qui cum Pindaro suo, Tibullo, Demosthene non interdum tantum confabulatus esse, sed perpetuo cum iis vixisse et in intimam eorum familiaritatem receptus fuisse videbatur;

**cuius praeclari viri vestigiis si ita insistatur, ut multi eum non anxie imitari sed certatim aemulari studeant, quam largi inde fructus iam proximo tempore in poetarum** antiquorum, historicorum, oratorum, philosophorum explicationem redundabunt! Praecipue vero principes philosophorum, Plato atque Aristoteles, tali interpretatione et digni sunt et indigent maxime; nam quum in illo illustrando multi operam suam posuerint, plurimi eorum non ultra propaedeuticam istam interpretationem pervenerunt, neque quisquam facem a Schleiermachero his studiis praelatam cum aliquo successu secutus est usque ad Godofredum Stallbaumum, cuius editionem Parmenidis Platonici ut melioris interpretationis initium laeti consalutamus; in Aristotele vere explicando adhuc solum fere Trendelenburgium ita elaborasse, ut suscepto opere non inferior visus sit, quis nesciat? Sed hic quoque iam antiqui interpretes rectam viam et monstraverant nobis et ipsi secuti sunt; nam ut de Simplicii, Philoponi, Alexandri Aphrodiensis in Aristotelem meritis taceam, quae non est huius loci laudare, in Platone certe explicando optime pro illius temporis ratione versati sunt Proclus et Olympiodorus, et ita, ut appareat, recte eos cognovisse, quid sit, philosophum interpretari; nam maximo acumine Proclus,[7]) priusquam ad singula exponenda pergat, totius dialogi summam rationem ita ab omni parte studet illustrare, ut nihil in ea incertum maneat atque obscurum, quo facto et singulas omnes sententias, adeo verba, et externam, quam dicunt, dialogi oeconomiam et formam ad philosophi consilium sagacissime revocat, ut ex toto singula bene nexa atque apta esse videantur; eius vestigia Olympiodorus,[8]) quamvis non eodem ingenio praeditus, procul sequitur. Qui homines si magis ab infelicissimo studio abstinuissent, omnia ea, quae ipsi rectius sibi videbantur cognovisse, iam in antiquissimis philosophis inveniendi, neque saepius ex Platone non Platonem, sed se suaque interpretati essent, multo magis sane omnium plausum tulissent. Quamquam haud pauci de iis iniquius iudicaverunt,[9]) quia minus memores fuerunt, quid philosophi interpreti agendum sit. Nam uti prophetae saepe effata dicuntur protulisse, quorum vim minus recte ipsi, quam qui postero tempore ea interpretati sint, perspexerint, (2 Petr. I, 19-21. *πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται*) sic philosophi, qui et ipsi quodammodo prophetae habendi

---

[7]) **Sint exemplo prolegomena utilissima in Platonis Parmenidem et Alcibiadem primum, quibus vere aliqua dialogorum illa, quae hodie dicitur, constructio inest sagacissima.**

[8]) **Cf. quae de Olympiodoro eiusque Platonis interpretatione monuimus in encycl. univ. Erschii et Gruberi, sect. III. pars III. p. 249. sqq. s. v. Olympiodorus.**

[9]) **E multis hic nomino Stallbaumum, qui in praefatione ad editionem suam Parmenidis Platonici (p. IV.) profitetur, non multum inesse Procli commentariis, quod ad aperiendam Platonis mentem vere prosit, et Karstenum, cuius iudicia de Neoplatonicorum in diiudicandis antiquis philosophis ratione (in editis Parmenidis reliquiis, Amstelod. 1835. p. 150. 210. al.) non omni ex parte probanda sunt.**

sunt, dixerunt multa, quae melius illi, qui post eos philosophati sunt, intellexerunt, et sane, quo quis dignior nomine erit philosophus, eo magis in iis, quae ipse invenerit, simul interpretis eorum, qui ante ipsum de rebus iisdem disputaverunt, munere fungetur; nam haec demum vera est philosophia, quae, quidquid priores recte veroque dixerunt, non tollere studet, sed servare et perfectius enuntiare. At clamabunt multi, hanc allegoricam esse interpretationem, iam diu sanae rationis luce dispulsam et exagitatam; sed ut despiciamus eorum insaniam, qui vel in minutissimis verbis et syllabis mysteria captant, et de rebus levissimis sublimiter disserentes ridiculi fiunt, (neque prorsus hoc crimine Platonis isti interpretes absolvendi sunt) inest tamen aliquid in contemto illo allegorico explicationis genere, quod minime sit reiiciendum, sed laudandum maxime et persequendum; quod si semper omnes reputavissent, aliter pueros Ciceronem legere, aliter Gronovium, in re ista non aurum simul cum sordibus abiecissent. Sed ne longius in campum excurrentes quamvis amoenissimum a fine huic scriptioni proposito aberremus, iam ad Plotinum nobis redeundum esse video. Qui quamvis Platonis interpretis perpetuo assumere videatur personam, magis tamen philosophiam illius universam quam singulos eius locos interpretatus est, neque, ut alii ex illa schola multi, vel aliquos vel omnes Platonicos libros continua expositione illustrare conatus est, quum bene sensisset, non ad aliena se natum esse interpretanda, sed maius sibi divinitus munus iniunctum esse, ut novam illam de rebus divinis doctrinam, quam Platonis nomine ornatam ab Ammonio invenerat praeparatam, suo ingenii acumine et clarius explicaret hominibus et omni ex parte perficeret. Magis igitur, quomodo universam Platonis philosophiam renovare, mutare, augere instituerit, quam quem sententiarum quarundam nexum, quam verborum vim esse voluerit, videtur esse ostendendum, quod tota demum Plotini doctrina describenda rite poterit fieri. Sed quum saepissime in placitis suis exponendis Platonicis utatur effatis, quae more suo interpretatur, iis ut suas annectat disputationes, selectos quosdam afferendos duximus locos Platonicos a Plotino illustratos, unde ars eius et ratio, qua hoc negotio functus est, cognosci posset. Simul inde elucebit, id quod etiam Creuzerus rectissime monuit, [10]) ad Platonem intelligendum non sine fructu esse diligentem Plotini lectionem. Qui ipse saepius quomodo interpretandum esset enuntiavit; nam ut philosophus philosophum legere solet, sic Plotinus Platonem et legit et interpretatus est; primum igitur sententias magis quam verba curat, quorum vim haud raro suam in opinionem detorquet; tum, ubi parum sibi constitisse videretur Plato, suum esse profitetur, diversas magistri sententias inter se

---

[10]) Ed. Plot. vol. III, p. 207. 307. ubi haec dicit: non dubito, in clariore luce collocatum iri Platonis decreta, si ipsius interpretes Plotino studiosius operam dare velint.

conciliare et ex summo eius consilio singula quaeque explicare;[11]) denique, quum princeps philosophorum persaepe res divinas imaginibus magis et symbolis quibusdam propositis adumbravisset quam diserte enuntiasset, desperans scilicet, mortali ore recte de iis dici posse, Plotinus haec quoque illustranda censet et latentem sub imaginibus veritatem enucleandam.[12]) Quibus in rebus quamvis interdum a recta via aberraverit, quis est, qui non universum eius consilium probet? nam magis sane iuvat exquirere, quomodo dilectissimus a nobis homo sibi constet, quam quomodo a se discesserit, et quum saepe vel maximi philosophi apud imperitos in crimen incurrere soleant inconstantiae, qui eorum libros non per iocum et lusum inspexerit sed serio perlustraverit, is plerumque inveniet, eos aliter quidem alio tempore de multis rebus locutos esse, quum discere numquam desierint, sed in toto suo consilio egregie sibi constitisse et eundem semper servasse doctrinae tenorem. Quanto vero rectius Lycopolites de mythis et allegoriis Platonis indicavit, quam qui hodie, ubi de Platone disserunt, admirantur quidem iucundissima ista, quae putant, orationis ornamenta, sed minus accurate attendunt ad gravissimas uberrimasque sententias, quae fabulis et narrationibus illis quasi splendidis pellucidisque vasis continentur. — Iam igitur in eligendis Platonicis locis talibus, ubi Plotinus non sententias modo Platonis explicare studuit, id quod ubique in libris suis facit, sed etiam ad verba descendit illustranda, illum sequemur ordinem, quem ipse nobis Plato praescripsit. Nam quid in eius philosophia maius, quid excelsius est, quam doctrina illa de summis simplicibusque rerum notionibus, quas primus nominavit *ἰδέας*? quibus inventis et perpetuum Heracliti motum quiescere iusserat, et immotam Eleaticorum quietem moveri; firmissimum enim hoc fundamentum nactus erat, quod quamvis singula quaeque gyro quasi perpetuo agitarentur, immotum ipsum maneret atque aeternum. Ad hanc doctrinam omnia, quae de rebus singulis recte disputat, revocanda sunt, ex hac etiam illa repetenda, in quibus aut parum sibi constitisse aut obscurius certe locutus esse et puram veritatem nondum adspexisse videtur. — Quum aliis multis Platonicis de ideis dictis utitur Plotinus, tum saepe affert et explicat classicum illum Timaei locum, quo Plato, postquam de origine coeli, elementorum, temporis disseruit, iam pergit ostendere, quomodo ad aeterna rerum exemplaria divinae menti insita singulae in mundo res creatae sint. Sunt verba Platonis (Tim. p. 39, e) haec: *ᾗπερ οὖν νοῦς ἐνούσας ἰδέας τῷ ὃ* (confirmat hanc lectionem Plotinus) *ἐςι ζῶον, οἷαί τε ἔνεισι καὶ ὅσαι, καθορᾷ, τοιαύτας καὶ τοσαύτας διενοήθη δεῖν καὶ τόδε σχεῖν.* (Plotinus, memoriter, uti videtur, afferens locum haec substituit verba: *τόδε τὸ πᾶν ἔχειν.*) Iam plenam Platonici effati vim dum stu-

[11]) Enn. IV, 8, 1. 5.

[12]) Enn. III, 5, 9.

det expiscari, primum quaerit, quid sit primum istud et verum in mente creatoris animal, quod *τὸ παντελὲς ζῶον* supra dixerat Plato, (p. 31, a.) in quo simplices cunctae rerum creandarum notiones lateant, tum, quomodo mens has notiones modo inspicere, modo de iis cogitare dicatur. Ita autem quaestionem propositam solvit, ut primum quidem confiteatur, animal illud intelligibile videri esse aliquid a mente diversum, quum mens quasi extrinsecus ideas ei insitas dicatur perspicere, mox vero addat, vere non diversum esse posse a mente, quod, quaecunque mens videat, non possit non in se ipsa et tamquam sui aliquam partem videre. Sic ex Platonico dicto ei emergit verissima sententia, mentem (*νοῦς*) non diversam esse a cogitato, quam iam a Parmenide [13]) indicatam, expositam et subtiliter enuntiatam ab Aristotele [14]) invenerat. Mens igitur ipsa, quatenus se suasque cogitationes cogitat, erat secundum Plotinum primarium istud animal, quo ideae cunctae continentur; simul vero etiam hoc sibi cognovisse videtur, quid inter visum mentis et cogitationem intersit; quod enim Plato primum mentem ideas suas inspicere dicat, his verbis censet eum indicare velle quietem mentis sui sibi consciae statum; tum quod mens divina cogitaverit, quomodo ad sensibile hoc universum formas rerum in ipsa latentes transferre possit, hac re putat aeternam illam mentis efficaciam (*ἐνέργεια, κίνησις*) significari, quae et ipsa non sit a mente diversa, [15]) ita ut ternionem illum, quem in mente et divina et humana inesse cognoverat, mentis, cogitati, cogitationis, (*νοῦς, νοητόν, νόησις*) iam Plato ei verbis suis spectasse videatur. Similiter eodem loco utitur in libro de numeris, (Enn. VI, 6, 17.) ut evincat, primas numerorum notiones iam ab initio in mente fuisse, quum intelligibilis ille mundus, qui et omnes omnium rerum et numerorum notiones complexu suo contineat, a Platone in Timaeo indicatus, non post mentem potuerit exoriri, sed semper simul cum mente fuerit, quippe qui a mente non sit diversus, sed mens ipsa a se cogitata et percepta. [16]) Praeterea illa verba afferuntur a Plotino II, 9, 1. 6. eodem consilio, ut mentem se sibi obiicientem et contemplantem describat. — Maxime vero in definiendis supremis re-

---

[13]) Notissimum est Parmenidis effatum:
*ταὐτὸν δ' ἐςὶ νοεῖν τε καὶ οὕνεκέν ἐςι νόημα*, v. 93. Karsten, cui simile affert Plotinus Enn. V, 1, 8: *τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν ἐςι(ν) τε καὶ εἶναι*, v. 40. K. quorum dictorum gravitatem si perspexissent, qui nuper de Eleaticorum decretis exposuerunt, rectius fortasse multa de Parmenide disputavissent.

[14]) Loci sunt classici metaph. XI, p. 249. Br. *ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν*, et de anima III, 4. *ἐπὶ τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτό ἐςι νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον.* Eandem rem Plotinus copiosissime tractat in libro *περὶ τῶν γνωριςικῶν ὑποςάσεων καὶ τῶν ἐπέκεινα*, V, 3.

[15]) Locus Plotini est III, 9, 1.

[16]) In fine capitis haec dicit: *οὐκ ἄλλος, (ὁ νοῦς καὶ τὸ νοητόν) ἀλλὰ πάντα ἕν, καὶ ἡ νόησις δὲ ψιλὴν ἔχει σφαῖραν, τὸ δὲ ζῷον ζῴου σφαῖρα*, (leg. *σφαῖραν*) i. e. cogitatio ipsa nuda esset, nisi materia suppeditaret, de qua cogitaret, quam materiam nanciscitur se ipsam ut vivam mentem intuens.

rum omnium notionibus, quas quinque ponit, entis, eiusdem, alterius, motus, status, qua in materia tres eius libri versantur, (Enn. VI, 1-3.) Platonis sequitur vestigia;[17]) hic enim in Sophista,[18]) ut Eleaticorum doctrinam refelleret iisque, quod isti negabant, omnino posse aliquid simul et esse et non esse ostenderet, proposuerat notiones primum motus et status, tum eiusdem et alterius, quae singulae quidem ita inter se diversae essent, ut, quod esset idem, simul non esset alterum, quod quiescens, non etiam motum, omnes vero sub unum genus, eorum scilicet, quae essent, caderent, et ita vere simul essent et non essent. Haec sagacissime ita Plotinus interpretatur, ut quinque illas notiones et mentis actionibus et omnino rebus omnibus subesse demonstret, et esse quidem inter se diversas, sed quum in mente nihil vere diversum sit, sed cogitatione tantum singulae mentis actiones et quasi partes discernantur, simul esse easdem, ita ut mens sit commune illud, quo contineantur, vinculum. Luculentissimum hoc est exemplum, quo Plotini rationem agnoscas, et si quis verba magis quam internam sententiarum vim respiciat, is facile poterit in Plotinum invehi, quod Platonem suum aut male intellexerit aut verbis eius pro arbitrio suum in usum abusus fuerit; nam Plato illis notionibus non alio sane consilio videatur usus fuisse, nisi ut evinceret, posse aliquid et esse et non esse, neque omnino, si quid non esse diceretur, hoc ad ipsam rei naturam esse referendum, sed ita tantum intelligendum, ut res aliqua propterea, quod esset aliquid, aliud aliquid esse negaretur; Plotinus vero ex ipsa mentis natura atque indole haec illustrat, ut ostendat, discrimen istud, quo in mundo sensibili singulae inter se res distineantur, in mente sui sibi conscia nullum esse, et notiones, quas cogitando animo informemus, diversas mentis quasi unitate comprehendi et coniungi. Sed nonne etiam hic dicamus, Plotinum rectissime perspexisse, quo Plato tetenderit? nam uti multa multis insunt Platonis dictis, quae, quum inspiciebamus primum, nobis non videbantur inesse, sic perspicuum est, Platonem, quum ista exponeret, vere, ut ita dicam, mentis in mysteria penetravisse et intellexisse, mentem certe, dum cogitet, simul quiescere et moveri, simul ex se quasi excedere et in se manere, quamvis res mentis expertes modo quiescant, modo moveantur, et singulae inter se distent. — Multus est Plotinus in exponenda numerorum indole ac natura, quos non meras sive notiones sive imagines a rebus ipsis cogitatione segregatas atque abstractas putabat, sed iam ab initio in mente divina substitisse, unde profluentes in sensibilem hanc rerum universitatem sui ubique imagines quasdam expresserint. Ita enim et scepticos se arbitrabatur refellere posse, qui

[17]) Potissimum secundus Enneadis sextae liber huc pertinet, in quo disertis verbis profitetur, (VI, 2, 1.) se omnia velle ad Platonis referre sententiam.

[18]) Soph. p. 254 - 258. St.

nihil omnino numerum esse dictitarent,[19]) et Aristotelem, qui numeros docuerat non in prima eorum, quae sint, serie esse collocandos, sed esse notiones a rebus, quae in sensum incurrant, avocatas et animo informatas.[20]) Doctrinam autem illam auctoritate Platonis confirmavit, qui et ipse iam in ideis suis numeros inesse docuerat, scilicet quia quaevis idea unitas quaedam sit multa in se continens.[21]) At bene observaverat, Platonem non eodem semper modo locutum fuisse; nam Tim. p. 37, quem locum ipse affert Enn. VI, 6, 4, numerum in mundo demum sensibili ortum esse dicere videtur, ita ut notio eius alternantibus diebus noctibusque et omnino temporum spatiis in animo hominum primum excitata fuerit; sed vidit etiam, hunc locum explicandum esse ex aliis multis, ubi numerum vere aliquid esse (*ὁ ἀριθμός ὁ ἐν οὐσίᾳ*) docuerat Plato;[22]) addere poterat, hunc neque in Timaeo negare, numeri notionem iam in aeterna mente fuisse; dicens enim, secundum numerum (*κατ' ἀριθμὸν*) hunc mundum certis et definitis motibus moveri, profitetur simul, iam priusquam mundus conditus fuerit, numerum fuisse, ut aeternam normam, secundum quam illius motus dirigerentur.[23]) — Omnium notionum supremam boni esse, unde omnes aliae nexae sint ac suspensae, certissime viderat Plato ut Socraticus; nam hac demum notione inventa atque illustrata Socratem dicas philosophiam ex sublimibus illis et inanibus regionibus, in quas evolare coeperat, ad hominum sedes ac societetem revocasse. Neque diversum a bono Socraticorum Aristotelis est istud *οὗ ἕνεκα*, quod quomodo in singulis omnibus rebus appareat, universi illius libri ostendunt. Hanc Platonis notionem ita recepit Plotinus, ut bonum supra omnia, quae essent, elatum[24]) a summo deo non esse diversum affirmaret, et aeternam illam atque immotam esse unitatem, unde et mens et anima perpetuo habeant originem,[25]) qua

---

[19]) Sext. Empir. adv. phys. II, 248. sqq.

[20]) Totus liber XII. metaphysicae in hac materia versatur, unde multa de Platonis placitis discimus, quae in ipsius scriptis non tradita sunt.

[21]) Optime de hac quaestione, de qua certius aliquid definire non admodum facile est, egit Trendelenburgius in libro de ideis et numeris Platonis, Lips. 1826. Multa etiam recte vidit Brandisius in diatribe de perditis Aristotelis libris de ideis et bono.

[22]) Respicere potissimum videtur Plotinus Parmenidis illum locum, (Parm. p. 144.) ubi Parmenides, si unum sit, necessario etiam numerum esse demonstrat.

[23]) Concedendum omnino est, Aristotelem et Platone et Plotino rectius perspexisse, quid sit numerus; nam per se quidem nuda est notio numeri, qui cum sit *σχῆμα* tantum aliquod argumento vacuum, non pars esse potest ideae sive purae istius notionis, quam ex se ipsa mens gignit, sed est quasi ideae limes et finis, quo illa circumscribitur et terminatur.

[24]) Sic iam Plato statuerat rep. VI, p. 509. *οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας.*

[25]) Bonum ternionis intellectualis culmen et principium esse et ipsum ita purum et immixtum, ut nihil omnino de eo praedicari possit, cum in omnibus fere libris suis indicat Plotinus, tum subtilissime exponit in ultimis tribus sextae Enneadis libris.

omnia inter se colligentur et concilientur. Centrum hoc quasi fuit philosophiae Plotinianae, et quae de deo dicit, eorum plurima ita sunt ex adytis mentis divina luce collustratae repetita, ut etiam nunc exemplo nobis sint, quomodo ad deum cogitandum et cognoscendum animum rite purgare possimus et praeparare. Vere autem hac in re Platonis fuit interpres, qui boni ideam a notione dei non prorsus disiunxit, sed, si quid inter utramque discriminis esse voluit, id non aliter statuendum esse censuit, quam quod subiecti et praedicati discrimen inducimus loquentes; quae diversitas in deo nulla potest esse, quia, quidquid est deus, et est quidem bonus, id est totus, ut cogitantes bonum ipsum etiam deum necessario cogitemus.[26]) Sed hoc quoque viderat Plotinus, a Platone saepe a bono primario, quod sit in deo, distingui bonum humanum, nondum omni corporis et voluptatis contagione liberatum, qua in re Philebus cum maxime versatur; huius enim locum laudans, ubi Socrates profiteri videtur, bonum neque voluptatem esse neque puram mentem, sed utraque mixtum,[27]) sententiam Platonis recte agnovit, dum dicit, sensisse illum, non hanc ob causam bonum aliquid esse, quia expetatur ab hominibus iisque voluptatem praebeat, sed expeti, quia sit bonum, et naturali necessarioque quodam nexu cum vera puraque animi voluptate bonum esse coniunctum;[28]) quam sententiam primariam esse in Philebo propositam etiam duobus aliis locis[29]) affirmat, ubi primum et summum bonum omnino a sola mente expeti neque quidquam ad corpus pertinere secundum Platonem evincit. Et recte quidem, nam bene, uti videtur, perspexerat, Philebum Platonis nihil aliud spectare, nisi primum, ut finiti et infiniti notiones, quae positae magis quam definitae erant a Pythagoreis, accuratius explicentur, tum, ut ostendatur, qui sint boni summi ordines ac gradus, per quos ad mortales quasi descendat eorumque animis

---

[26]) Subtiliter et accurate de hac quaestione disseruit Hermannus Bonitius in duarum, quas edidit, disputationum Platonicarum (Dresdae, 1837.) priori, ut C. F. Hermannum (in indice lectionum in academia Marburgensi per semestre hibernum 1832 - 1833. habendarum) minus recta boni ideam a dei notione distinxisse ostenderet, qua in re haud contemnendum sane socium ac patronum causae suae habet Plotinum; sed neque Hermannum aliud, quam cogitationis, discrimen deum inter et bonum ponere voluisse puto, ita ut deus sit quasi subiectum, bonum praedicatum, utrumque vero aeterna quadam necessitudine coniunctum et colligatum.

[27]) Tangit locum Philebi p. 22., qui incipit a verbis: *οὐδὲ γὰρ ὁ σὸς νοῦς, ὦ Σώκρατες, ἔςι τἀγαθόν.*

[28]) Enn. VI, 7, 27. ubi haec potissimum rectissime disputat: *αὐτὸς γὰρ οὐ τὸ πρῶτον ἀγαθὸν ἐζήτει, τὸ δὲ ἡμῶν καὶ ὅλου ἑτέρου ὄντος, ἔςιν αὐτό, ἕτερον ὂν αὐτοῦ, ἐλλειποῦς ὄντος αὐτοῦ, καὶ ἴσως συνθέτου· ὅθεν καὶ τὸ ἔρημον καὶ μόνον μηδὲν ἔχειν ἀγαθόν.*

[29]) Enn. VI, 7, 29. 30. quo loco ita dicit: τὸ *μὲν οὖν οἴεσθαι τὸ ἀγαθὸν ἔκ τε τοῦ νοῦ ὡς ὑποκειμένου, ἔκ τε τοῦ πάθους τῆς ψυχῆς, ὃ γίγνεται ἐκ τοῦ φρονεῖν, οὐ τὸ τέλος οὐδ' αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν τὸ συναμφότερόν ἐςι τιθέντος, ἀλλὰ νοῦς ἂν εἴη τὸ ἀγαθόν.*

patefiat.[30]) — Ut in bono, sic etiam in pulcro definiendo Platonis doctrinam sequitur ita, ut perficere eam studeat et purius enuntiare; quem ad finem duos praestantissimos scripsit libros: de pulcro (Enn. I, 6.) et de pulcritudine intelligibili; (Enn. V, 8.) et prorsus quidem Platonicum est illud, quod pulcrum in ideis inesse et in propylaeis quasi boni positum statuit;[31]) sed multo altius eius originem repetit ex mente aeterna, quae bono repleta summique dei beatissimo adspectu gavisa et ipsa fiat pulcerrima et pulcerrimas ex se gignat ideas, unde pulcri notio in hominum animos descendat.[32]) Simul vero eo progressus est, ut falsis eorum definitionibus refutatis, qui pulcrum in symmetria aliqua sive harmonia ponerent, certum aliquem ordinem singularum artium induceret, quas eo perfectiores esse censebat, quo propius et materia, in qua fingenda elaborarent, et operibus, quae efficerent, ad summum pulcrum in mente habitans accederent; qua re utilissima aestheticae, quam nunc vocant, doctrinae semina sparsit neque nobis negligenda,[33]) id quod hic longum est exponere. Splendidissime vero beatam mentis dei consciae et eius in contemplatione defixae vitam cum multis aliis locis tum Enn. V, 8, 4. secundum Platonem describit, et memorabile est, quod hoc loco addit, Platonem, quum dixerit, veram scientiam non esse in alio aliam, (Phaedon p. 83.) aliis reliquisse exquirendum, qualis sit illa.[34]) — Plato quum docuisset, pulcri maxime adspectu sanctum illum et sincerum in nobis amorem excitari, quo moti atque inflammati ad virtutem impellamur et insitam nobis dei similitudinem restituere studeamus, Plotinus, cuius maxime cognatum esset Platonico ingenium, gravissimum semper in officio, quo nullum sanctius habuit, animum a rebus terrestribus

[30]) Nescio, quamobrem, quum sex boni gradus a Platone afferantur, Stallbaumus (prolegg. in Phileb. p. XCVII.) et Astius (de vita et scriptis Platonis p. 296.) quinque tantum esse voluerint; nobis quidem loco illo celeberrimo Phil. p. 66. tota illa rerum, quae aut sint bonae aut habeantur, series egregie ita videtur esse disposita, ut tria genera boni ad puram mentem, tria ad animum humanum, cui corpus adhaeret, pertinere videantur. Sic talis nobis elucet parallelismus:

| A. Ideae purae. | B. Res sensibiles. |
|---|---|
| a) *τὸ μέτριον καὶ καίριον.* | a) *ἐπιςῆμαι καὶ τέχναι.* |
| b) *τὸ ξύμμετρον καὶ καλόν.* | b) *ἡδοναὶ καθαραί.* |
| c) *νοῦς καὶ φρόνησις.* | c) *ἡδοναὶ ἄπειροι* s. *ἀκάθαρτοι*, quas non nominat Plato sed obscurius indicat. |

[31]) Cf. potissimum I, 6, 9. *τὸ δὲ ἐπέκεινα τούτου (τοῦ καλοῦ) τὴν τοῦ ἀγαθοῦ λέγομεν φύσιν, προβεβλημένον τὸ καλὸν πρὸ αὐτῆς ἔχουσαν.*

[32]) I, 6, 6. *διὸ καὶ λέγεται ὀρθῶς τὸ ἀγαθὸν καὶ καλὸν τὴν ψυχὴν γίνεσθαι ὁμοιωθῆναι εἶναι θεῷ.*

[33]) I, 6, 3. V, 9, 11. — Ceterum quaecunque veteres philosophi de pulcri notione et natura dixerunt, ea nobis non possunt satisfacere; nam neque certis finibus pulcrum a bono illi distinxerunt, neque eam pulcro et in mente et in rebus ipsis sedem assignabant, quam assignare debebant.

[34]) Enn. V, 8, 4. *ὅπως δὲ, (ἡ ἐκεῖ ἐπιςήμη) εἴασε ζητεῖν καὶ ἀνευρίσκειν, εἴπερ ἄξιοι τῆς προσηγορίας φαμὲν εἶναι.*

avocandi et ad deum revocandi, amori momentum tribuit.[35]) Iam vero ille suavissimas de amore fabellas in duobus potissimum libris proposuerat, in Phaedro et in convivio; in his igitur explicandis Plotinus libentissime versatur, hos perpetuo laudat, illustrat, pro sacris quasi libris habet, latentem ex iis veritatem elicere et purius cognoscere conatur. Imprimis in dulcissimo, cui inscriptum est *περὶ ἔρωτος,* (III, 5.) libro hoc opus tractat, ita ut haud raro christianum magis hominem quam philosophum Platonicum de Dei amore loquentem nobis videamur audire. Hoc postquam fabulas iucundae illi narrationi, quam (sympos. p. 201. sqq.) Socrates a Diotima se fingit accepisse, intextas de amoris partu ingeniose explicavit, rectissime statuit, quid intersit inter strictam et exactam magis philosophandi rationem et inter aliud illud disserendi genus, cui tantum indulsit Plato, quo per fabulas atque imagines vera proponuntur;[36]) dicit enim, fabulis ea, quae tradantur, et tempore distineri, et saepe ea, quae ordine quidem et viribus diversa esse videantur, vere autem eadem sint, inter se disiungi, ita ut interdum, quae natura sua aeterna sint, gigni et nasci dicantur. Memoria dignissimum sane effatum, quo, etiam si numquam, id quod semper fecit, disertis verbis affirmavisset, disceremus, eum, quum mentem a deo summo, a mente animam gigni dicat, noluisse tres inducere deos, quorum unus aliquando ex altero natus fuerit, sed imagine tantum hac usum fuisse, ut diversos nobis divinae potentiae atque efficaciae gradus ostenderet.[37]) Iam per singula non sequemur Plotinum mythum Platonicum de amore, luxus (ita verterim *πόρος*) et inopiae (*πενία*) filio, natalitiis Veneris in Iovis hortis celebratis concepto, sagaciter explicantem, quum id tantum voluerim ostendere, quae sibi interpretationis praecepta ipse posuerit, non copiose ostendere, quomodo haec praecepta ubique secutus fuerit, de quo totus mihi liber conscribendus esset. Ut vero dicam, quid imprimis in Plotini de illo mytho sententia mihi placuerit, est hoc, quod Platonem de vero et summo amore illo loco non cogitavisse iam ex parentum nominibus coniicit; inopiam enim censet esse insatiabile istud atque infinitum animae desiderium, quod, quamquam luxus (cuius nomine rationem putat significari) cum ea coeat, numquam prorsus expleatur; ex tali igitur

---

[35]) Quod Plotinus in libro de dialectica (I, 3.) tres ponit vias, quibus ad deum cognoscendum possimus accedere, musicam, quam pro omnibus aliis artibus nominat, amorem, dialecticam denique, utinam ab istis rectius reputatum esset, qui sola philosophia ad Deum perveniri posse opinati sunt.

[36]) III, 5, 9.

[37]) Aeternum igitur mentis ex deo partum nominat, (*γέννησις ἀΐδιος*) VI, 8, 20, quo termino felicissime sane invento dogmati christiani de trinitate interpretes usos fuisse maxime quis nesciat? Totum illum librum de unius libertate et voluntate (VI, 8) legat, qui cognoscere cupit, quo acumine Plotinus in intimos doctrinae de deo recessus penetraverit.

connubio natum amorem et ipsum perpetuo cupidine numquam satiata moveri.[38]) Ceterum Plotinus paulo aliter hunc mythum explicat Enn. III, 6, 14, ubi *πενίαν* materiae imaginem dicit, quae, per se vana atque infinita, formarum desuper venientium copia (*πόρῳ*) numquam vere expleatur. — Nihil vero magis Plotinum occupavit, quam ut animae naturam investigaret et exquireret, quamobrem non pura manserit atque integra, sed corpus assumserit, cuius contagione mala repleta sit libidine; nam et mentem humanam et animam ab origine quidem bonam et divinam esse censebat, sed pristinam perdidisse pulcritudinem et labem maculamque traxisse, ex quo corpus ei adhaeserit. Nec mirum, quod, quum in orbe Romano tum nihil fere neque in republica neque in hominum societate et commerciis sanum esset, sanctioris et excelsioris animi homines non solum a voluptatibus corporis abstinuerunt, sed ipsius etiam corporis eos puduit. Sed ne putes, hanc, ut ipsius vocabulo utar, animi ex corpore fugam eum ab Indorum sapientibus didicisse, qui quod in enecando corpore profecisse dicuntur omnem superat fidem; Platonis etiam hic vestigia premit, et uberrima, quae illius in libris invenerat, eiusdem doctrinae semina ita excoluit, ut temporis, quo vivebat, rationi accommodatum erat. Adeo Platonis armis gnosticos impugnat, qui nihil non in mundo corruptum esse et animam prorsus pessumdatam esse clamarent, quippe quae non a summo deo sed ab inferiori quodam demiurgo creata esset;[39]) quibus puriorem suam et Platonis rationem de mundo, perfecta dei imagine, et de anima lapsa quidem sed a mente divina numquam divulsa opponit. Plerumque, quum de animae natura exponit, ea sequitur, quae Plato in Timaeo docuerat. Sic, quum ibi invenisset, deum ex duabus diversis naturis, quarum una non possit in partes discedere, altera circum corpora divisa ac distributa sit, tertiam aliquam miscuisse et composuisse, in medio inter puram mentem et corpora loco collocatam,[40]) hoc divinum aliquod a Platone propositum aenigma (*θείως ᾐνιγμένον*) iudicat et ita recte explicat, ut dicat, animam universi esse istam compositam naturam; hanc enim in partes videri quidem divisam et in corpora dispersam, sed vere non esse divisam, neque, etsi infinitam singularum animarum complectatur multitudinem et varietatem, ipsam in multitudinem dilabi, sed unam esse in multis corporibus vires suas diversis modis ac formis

---

[38]) III, 5, 7. *τὸ γενόμενον οὐ τέλεον οὐδὲ ἱκανὸν, ἐλλειπὲς δὲ, ἅτε ἐξ ἐφέσεως ἀορίστου καὶ λόγου ἱκανοῦ γεγενημένον.* — Nescio quomodo Platonicam fabellam legenti mihi semper in mentem veniat lepidissimi Goethii commenti, qui Fausti et Helenae filium Euphorionem nimio animi impetu motum et inexhausti rerum gerendarum desiderii plenum tandem in auras fingit evolantem, unde in terram delapsus mortem invenerit. Scilicet natus erat puer patre, cuius libido nullis finibus coercebatur, et matre phantasmate.

[39]) Adv. Gnost. III, 9, c. 4 - 9.

[40]) Tim. p. 35. *τῆς ἀμερίστου καὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς, τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ξυνεκεράσατο οὐσίας εἶδος.*

exserentem.[41]) Hac etiam aliud tritissimum Timaei dictum advocat, quo in eodem cratere, in quo universa mixta fuerit anima, deinde singulae animae ex reliquiis prioris mixturae compositae esse dicuntur,[42]) ita ut non eandem, quam illa, puritatem servaverint, sed alterum et tertium in universo locum occupaverint; vidit enim, hic de animis agi illis, quae terrestribus corporibus inclusae aliquam inde corruptionem nactae sint.[43]) Etiam celeberrimam illam Platonis in Phaedro fabulam de anima prius alata et in sublimibus coeli regionibus versante, deinde amissis alis humi ad corpora delapsa,[44]) explicat ita, ut eam imaginibus et symbolis omnibus exuat et nudam puramque ex ea notionem restituat;[45]) nam aliam non fuisse causam docet, cur animae ex innocentia pristina exciderint, quam ipsarum imbecillitatem, neque cecidisse proprie animam, sed corpori necessitate quadam naturali adiunctam peccavisse, quia ad divina, unde nata sit, nondum didicerit attolli atque ascendere. Et omnino, quo diutius de summis rebus cogitabat Plotinus, eo puriores de illis concepit notiones; nam in libro *τί τὸ ζῶον καὶ τίς ὁ ἄνθρωπος,* (I, 1.) quem aetate maxime provectus scripsit, erat enim, Porphyrio teste, (vita Plot. p. 24.) librorum eius ex ordine temporis quinquagesimus tertius, iam eo videmus inclinare, ut omnem illam doctrinam et de animarum migratione et de primo earum lapsu, quae mali fuerit origo, in dubitationem vocare audeat, qua in re Platonis mentem multo rectius profecto perspexit quam reliqui omnes, qui illis temporibus et ante eum et post eum Platonici nominabantur.[46]) In hac quoque materia diversas Platonis sententias in concordiam revocare studet, quod ipse memorabili maxime loco indicat.[47]) Nam invenerat, Platonem modo dolere hominum sortem, quod immortales eorum animi

---

[41]) Est locus Plotini IV, 2, 2. Totus hic liber et qui praecedit in hoc dogmate explicando versantur, animam *ἀμερίστως μερίζεσθαι.*

[42]) Tim. p. 41.

[43]) Enn. IV, 8, 4. Egregie addit, si deus animas ibi sevisse dicatur, id non aliter intelligendum esse, quam si verba faciens inducatur.

[44]) Phaedr. p. 246.

[45]) Enn. I, 8, 14.

[46]) Enn. I, 1, 12. — Iam diu haec purioris doctrinae initia observasse mihi videbar, sed dubitabam, num recte iudicassem, quum vidi, Creuzerum idem animadvertisse, cuius nobis auctoritate iam omnis exemta est dubitatio. Ceterum etiam Platonicam illam *ἀνάμνησιν* iam multo ante addubitaverat vel certe ad saniorem rationem revocaverat in libro *περὶ ἀρετῶν,* (I, 2, 4. p. 29, 4. 5.) quod dictum Creuzeri solertiam fugit; cf. IV, 3, 25. 4, 5.

[47]) IV, 8, 1. *οὐ ταὐτὸν λέγων πανταχῇ φανεῖται, ἵνα ἄν τις ἐκ ῥᾳδίας τὸ τοῦ ἀνδρὸς βούλημα εἶδεν, ἀλλὰ τὸ αἰσθητὸν πᾶν πανταχοῦ ἀτιμάσας — ἐν Τιμαίῳ περὶ τοῦδε τοῦ παντὸς λέγων τόν τε κόσμον ἐπαινεῖ κ. τ. λ.*

corporis quasi vinculis [48]) et sepulcris [49]) inclusi sint et in obscuro quodam antro [50]) habitare videantur, in quo vanas tantum atque inanes veri umbras dispiciant, modo mundum felicissimum deum praedicare, et mentem dicere ab optimo et sapientissimo omnium rerum creatore corpori inditam. [51]) Haec ita inter se concilianda esse docet, ut universa quidem per mundum diffusa anima bona esse putetur, sed simulac corpus sibi in materia fingere instituerit, desciscere coepisse a pura mente et ad infelicissimam sortem delapsa esse. [52]) Neque illud dissimile est, quod VI, 4, 16. monet, ne quis, si Plato animam vel in corpus devenire vel ex eo discedere dicat, haec proprie intelligenda esse putet; statuendum potius esse, animam sua sponte corporibus sui potestatem fecisse, et rectius dici, corpus ad animam pervenire, eius ut luce illustretur, quam animam ad corpus decidere. Omnino vero etiam nobis de Platonis doctrina disputantibus Plotini exemplum sequendum erit et id semper observandum, ne, quod nuper fecerunt quidam, Platonem alia poetam, alia philosophum statuisse opinemur; nam putet fortasse aliquis, qui primoribus tantum labris Platonicos libros gustaverit, non idem semper sentire Platonem, qui tum materiae labe omnia haec, quae in sensus nostros incurrant, affecta et animum corporis mole maxime turbatum et oppressum queratur, tum universa summae rationis divinae effigiem gerere et partem aliquam idearum ubique regnantium habere intelligat; sed qui totum doctrinae eius nexum et consilium recte perspexit, eum non potest fugere, semper ei singula quaeque imbecilla et manca videri, quamvis universae rerum notiones, quarum in singulis vestigia cernamus, pulcerrimae sint et perfectissimae; cuius rei causam non aliam esse putavit, quam quod res singulae materia, tempore, loco disiunctae sint et discretae, ideae vero numquam inter se discedant, sed una aeterna mente comprehensae eandem perpetuo rationem ac naturam servent. Quod si minus ille ostendere potuit, quomodo ex ideis singulae res aptae et nexae sint, ipse optime quidem sibi constitit, sed erat haec insita quaedam eius doctrinae imbecillitas, ut, quum cognovisset, nihil omnino esse posse sine ideis, non istud simul recte intelligeret, ideas vere non esse posse, nisi apparerent. Qua in re Aristoteli contigit, ut rectiorem proponeret doctrinam, et ostenderet, quomodo in rebus singulis gignendis et formandis universae

---

[48]) Phaedon. p. 62. ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι.

[49]) Crat. p. 400. Gorg. p. 493. Est notissimus ille lusus in verbis σῶμα et σῆμα.

[50]) Celeberrimus est locus rep. VII, p. 514.

[51]) Tim. p. 30. 34.

[52]) IV, 8, 5. Ad eandem rationem etiam Empedoclea et Heraclitea referre studet, quum recte sensisset, in rebus singulis contemnendis cum illis Platonem facere.

notiones vim suam atque efficaciam exsererent. [53]) Plotinus quidem spreto Aristotele Platonis denuo amplexus est doctrinam, sed ita, ut ex Aristotelis lectione permultum eum profecisse appareat; quod cum alia multa eius effata testantur, tum luculentissime istud, quo ultra se suasque de rerum omnium sensibilium vanitate opiniones ipse ad rectiorem sententiam progredi videtur: *τάχα καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἐςὶ τὰ μένοντα.* (VI, 6, 6.) Ac profecto et Platone et Aristotele rectius eum saepe cognovisse videmus, quem ad finem singula quaeque in mundo creata sint et quo omnia rerum mundanarum genera tendant, ita ut interdum divinatione aliqua iam praecepisse videatur multa, quae de divina ratione universae rerum naturae insita recentissima demum aetas melius intellexit. [54]) Et sic, quae Plato de rerum naturalium fine et consilio in Timaeo docuerat, sagacissime interpretatus est, [55]) quamvis, quae erat illorum temporum indoles, in singulis naturae viribus et legibus indagandis atque explorandis parum diligenter versatus esset. Sed minus sibi omnino in tota hac materia constat; haud raro enim ad antiquas istas Platonicas, quas imbiberat, opiniones de animarum migratione et lapsu certis quibusdam periodis in orbem redeunte relapsus est, ut singularum rerum originem explicaret. [56]) — Notissimae sunt fabulae illae de daemonibus medium inter deos et homines locum tenentibus, quae inde ab Hesiodo maxime in Graecia vulgatae fuerunt; etiam has fabellas receperat Plato, et unicuique homini suum attribuerat daemonem, [57]) qua imagine vitae sortem ac conditionem singulis

[53]) Si qui etiamnunc opinantur, Aristotelicam philosophiam toto coelo distare a Platonica, ii si ipsum Aristotelem adire velint, intelligent, eum Platonis istud de ideis aenigma vere solvisse, quum invenisset, nihil esse ideas, nisi sint efficaces, (*ἐν ἐνεργείᾳ*) efficaciam vero earum cerni in rebus singulis ita formandis, ut ad summum finem vel ad bonum efficiendum omnia in iis conspirent.

[54]) Abundant duo potissimum libri Plotini (III, 8. VI, 7.) aureis vere dictis de naturae consilio, quae lumine suo reconditam nobis divinam sapientiam aperire videntur. Nam quid umquam de natura rectius dictum est, quam istud: *πάντα θεωρίας ἐφίεται,* (III, 8, prooem.) vel: *τὸ εἶναι αὐτῇ (τῇ φύσει) ὅ ἐςι τὸ ποιεῖν ἐςιν,* (ib. c. 2.) vel: *πάντα τὰ γιγνώμενα εἰς νοῦν σπεύδει,* (ib. c. 7.) tum de mente divina ubique in rebus conspicua: *ὥςε ᾗ κατῆλθεν ὁ νοῦς, ταύτῃ πάλιν αὖ τῷ αὐτάρκει τῆς φύσεως ἀνακύψαι καὶ εὑρεῖν ἐν αὐτῷ τοῦ ἐλλείποντος κειμένην ἴασιν.*

[55]) Uti Plato, sic Plotinus non id tantum quaerit, quem ad finem singula in natura instituta sint, (quam nos dicimus teleologicam naturae cognitionem) sed omnia ad divinae mentis similitudinem revocare studet. In singulis vero explicandis saepissime et recipit Platonis dicta et amplius ac clarius proponit; sic Tim. p. 76, ubi de unguium usu Plato disseruit, respicitur VI, 7, 9. 10. quo loco unguium, cornuum, dentium origo sagacissime ex deficiente vi vitali, quae non usque ad extremas animalis partes transire potuerit, explicatur; sic, quae Tim. p. 77. de vita etiam plantis insita dicuntur, Plotinus exponit et persequitur VI, 7, 11.

[56]) Talia in omnibus eius libris passim leguntur; praecipue unus liber (V, 7.) in hoc argumento versatur; sed tantum abest, ut Plotinus problema in titulo illius opusculi (*περὶ τοῦ εἰ καὶ τῶν καθ' ἕκαςά ἐςιν εἴδη*) propositum solverit, ut etiam novas ei tenebras offuderit; nam ut fabularum narrator, non ut philosophus ibi loquitur.

[57]) Rep. X, 617. *οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμεῖς δαίμονα,* quem locum Plotinus egregie interpretatur in libro *περὶ τοῦ εἰληχότος ἡμᾶς δαίμονος,* IV, 4.

destinatam atque divinitus assignatam indicare voluerat. Vidit vero Plotinus, maius aliquid in illa opinione inesse, neque dissimilem ei esse genii apud Romanos cultum;[58]) nam daemonem singulis hominibus additum perfectum istud atque excelsum vitae ac virtutis exemplar esse censuit, quod dum perpetuo sibi ob oculos ponunt, omni opera aemulari student atque assequi.[59]) Verissime igitur etiam de hac re sensit, et ita, ut appareat, eum cognovisse, uti omnes res ex summis earum notionibus pendeant, sic singulorum quoque hominum vitas ab idea aliqua ipsis insita eosque intus movente (Ideal) regi ac duci. Quam sententiam alio Platonico dicto confirmat, quo praestantissima et dei simillima animi pars daemon nobis a diis attributus nominatur.[60]) Et quod in Timaeo res mortales non ab ipso deo, sed ab inferioribus quibusdam diis creatae esse dicuntur,[61]) hoc ita explicat, ut coelestem in nobis et divinum animum a mente divina non diversum esse dicat, mortalia vero obscuram tantum immortalis animi imaginem referre, et ab anima mundi per res singulas atque externas dispersa progenita esse, ut ingenti intervallo a suprema mente distent. — Minus accurate vero Platonem suum in iis, quae de coelo atque astris disputat,[62]) interpretatur; dixerat enim Plato, res omnes, quae in sensum incurrant, et coelestes et terrestres, corpus habere et elementis duobus sibi oppositis, igne et terra, constare, neque quidquam in rerum natura immutabile esse, sed res sensibiles omnes perpetuo fluere et moveri;[63]) Plotinus contra contendit, nihil terreni coelestibus corporibus admixtum esse, et esse aeterna, quum neque inde defluere quidquam possit neque iis affluere. Sed ne Platoni contradicere videretur, eius verba violentissime ad suas partes pertrahere conatus est; Platonem enim dicentem, omnia in mundo elementis

---

[58]) De daemonibus et geniis cf. Creuzeri symb. et myth. III, 4. sqq. 511. sqq. Quod nuper quidam de renovando aliquo geniorum cultu fabulati sunt, hac in re vereor ne minus puras quam antiqui isti, vera religione nondum illustrati, de rebus divinis notiones conceperint.

[59]) III, 4, 5. *ἡ αἵρεσις ἐκεῖ* (apud Platonem) *ἡ λεγομένη τὴν τῆς ψυχῆς προαίρεσιν καὶ διάθεσιν καθόλου καὶ πανταχοῦ αἰνίττεται. — Ὁ δαίμων οὗτος οὐ παντάπασιν ἔξω, ἀλλ' οὕτως ὡς μὴ συνδεδεμένος, οὐδ' ἐνεργῶν, ἡμέτερος δὲ, ὡς ψυχῆς πέρι εἰπεῖν, οὐχ ὁ ἡμέτερος δὲ, εἰ ὡς ἄνθρωποι τοιοίδε τὴν ὑπ' αὐτὸν ζωὴν ἔχοντες.*

[60]) Tim. p. 90. *Τὸ δὲ δὴ περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε.* Hoc dicto Plotinus locum illum supra laudatum (rep. X, 617.) explicat et addit: *εἰ οὕτω ληφθείη, οὐδεμίαν ἕξει μάχην.*

[61]) Tim. 69. *τῶν μὲν θείων αὐτὸς γίγνεται δημιουργὸς, τῶν δὲ θνητῶν τὴν γένεσιν τοῖς ἑαυτοῦ γεννήμασι δημιουργεῖν προσέταξεν.* Cf. egregium locum p. 41. Disputat de hoc loco Plotinus II, 1, 5.

[62]) Enn. II, 1. 2. qui libri de coelo eiusque motu agunt.

[63]) Tim. p. 31. *σωματοειδὲς δὲ δὴ καὶ ὁρατὸν ἁπτόν τε δεῖ τὸ γενόμενον εἶναι· χωρισθὲν δὲ πυρὸς οὐδὲν ἄν ποτε ὁρατὸν γένοιτο, οὐδὲ ἁπτὸν ἄνευ τινὸς στερεοῦ, στερεὸν δὲ οὐκ ἄνευ γῆς· ὅθεν ἐκ πυρὸς καὶ γῆς τὸ τοῦ παντὸς ἀρχόμενος ξυνιστάναι σῶμα ὁ θεὸς ἐποίει.* — Crat. p. 402. sqq. ubi Heracliti sententiam: *πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει*, si ad res sensibiles referatur, probare videtur.

mixta esse, putat non hoc voluisse docere, vere singula quaeque elementorum aliquam mixturam ostendere, sed mutuam tantum elementorum inter se in toto mundo convenientiam indicavisse, [64]) neque negavisse, etiam singula elementa pura atque immixta posse constare; qua in sententia Platonis rationem vix assecutus est; hic enim sine duobus istis primariis elementis, igne et terra, quae duobus aliis mediis, aqua et aëre, inter se copulentur, nihil omnino gigni posse et oriri disertis verbis docuerat. [65]) Neque melius est, quod ex verbis Platonis, solem lucidum esse et candidum maxime, [66]) coniiciendum esse putat, et solem et reliqua coelestia signa puro igne constare. [67]) Paulo rectius, quod Plato mundum a deo creatum neque senescere neque morbis affici dixerat, [68]) arbitrari poterat, eum corpora coelestia mortalitatis legi exemta voluisse, quamvis magis ibi de tota rerum universitate quam de singulis eius partibus cogitasse videatur. — Sed unde, quum optime a deo omnia creata sint, in mundum mala irrepserunt? Haec quaestio sapientissimos homines et occupavit semper et perpetuo occupabit, et merito, nam bene intellexerunt, mala non posse removeri, nisi eorum origo cognita esset. Iam Plato ultimam malorum rationem in materia sitam esse docuerat, quam quum a vacuo omnium rerum spatio non satis distinxisset, [69]) Plotinus multo subtilius hunc locum tractavit, de quo tres libros scripsit. [70]) Omnino vero nec Plotinus neque quisquam in antiquitate philosophus ad primas mali in animo mortalium radices descenderat, sed originem eius aut a rebus externis aut ab imbecillitate aliqua naturae humanae aut denique ab ipsa materia, communi omnium rerum limite et fundamento, repetebant; id quod iam veterum idiomata testantur, in quibus mala illa, quae extrinsecus hominibus accidunt, non discernuntur ab iis, quae ipsi libera voluntate perpetrant. Quamquam etiam hic interdum Plotinus, quasi puriori luce collustratus, rectiora vidit. [71]) In ipsa materiae notione definienda Platonem saepe subtilissime explicat; sic, quod Plato in Timaeo dixit, [72]) materiam et humari posse (ὑγραίνεσθαι) et igne repleri, (πυροῦσθαι) id monet non ita esse intelligendum, ut materiam vere aliquid esse putemus, quod vel in

[64]) II, 1, 7.

[65]) Tim. p. 31. 32.

[66]) Tim. p. 39. rep. VI, p. 508. Scilicet negabat Plotinus, lucem corpus esse.

[67]) II, 1, 7.

[68]) Tim. p. 33.

[69]) Copiosius de hac re egi in opusculo de dial. Plotini ratione, cap. III.

[70]) I, 8. II, 4. III, 6.

[71]) Reperiuntur rectioris cognitionis huius rei vestigia potissimum in libro de libera voluntate dei VI, 8., ut infra ostendemus.

[72]) Tim. p. 52.

aquam vel in ignem mutari possit, sed discrimen statuisse Platonem inter *πυροῦσθαι* (ignire, si verbo uti liceat) et *πῦρ γίγνεσθαι*; illud enim esse igne repleri, hoc in ignem mutari, et illud quidem in materiam cadere, quae nihil sit nisi vacua aliqua notio a rebus ipsis abstracta, hoc vero de ea non posse praedicari, quum, quod per se nihil sit, non in aliud aliquid mutari possit. [73]) Id Platonem quoque dicere voluisse addit, quia eodem loco ille doceat, materiam recepisse formas aëris et aquae, unde sequatur, non ipsam in varias formas ac figuras transmutari. Et interest sane aliquid inter verba nominalia, quae vim habent inchoandi, et inter periphrases ex verbo substantivo et nomine factas; illa enim, ut recte Plotinus sensit, aliquid re aliqua affici indicant, his aliquid de aliquo praedicatur. Non minus egregie Platonis in Thaeteto [74]) effatum interpretatur, necessaria esse mala, quia bono aliquid oppositum esse debeat. De quo ita ratiocinatur, [75]) ut dicat, oppositum esse debere ei quod sit id quod non sit, ei quod finem et modum habeat id quod fine modoque careat; iam vero summum bonum omnibus rebus et finem ponere et rationem iis suppeditare quod sint; oppositum igitur boni principio mali aliquod principium esse debere. Quod si quis putet, eum hic ad turpes istos eorum errores delapsum fuisse, qui duplex aeternum boni et mali principium esse statuerant, is ne obliviscatur, materiam secundum Plotinum nihil omnino per se esse, sed cogitari tantum, vere autem nihil in mundo esse praeter ea, quae boni aliquam partem habeant. — Et ita Plotinus, si quis alius, Platonis mentem recte perspexit, quamvis aliis reliquerit negotium, verba eius et dictiones explicandi. Iam si quis ex nobis quaerat, quid tandem inter utriusque philosophi doctrinam intersit, quum Plotinus Platonem servili fere modo numquam non videatur sectari, respondere sane possumus, in maximo illo placitorum consensu etiam discrimen esse maximum; nam quum et Plato et alii omnes philosophi id potissimum spectassent, ut se ipsi recte cognoscerent, Plotinus id ipsum tum demum rite fieri monuit, si deum studeamus cognoscere. [76]) Itaque vere dicere possumus, Platonem docuisse, quomodo divinae rationes ubique in mundo appareant, Plotinum vero, quomodo omnia in deo sint; et quum Plato praecepisset, ut secundum deum homines viverent, Plotinus eos in deo vivere iussit. Nam sanctissimo summi boni inveniendi studio uterque impulsus erat, ita ut ethica seu doctrina de bono in utriusque philosophia summus finis fuerit, ad quem reliqua omnia conspirarent; sed ille hunc finem ita assequendum esse putavit, ut deum in nobis ostenderet, hic ita, ut nos in deo esse doceret et dei conscientia ad veram nostri conscientiam exci-

---

[73]) Enn. III, 6, 12.

[74]) Theaet. p. 176.

[75]) I, 8, 6.

[76]) VI, 7, 41. *τὸ γνῶθι σαυτὸν λέγεται τούτοις, οἳ — οὐ πάντα ἴσασιν, ἢ οὐδὲν, οὐδ' ὅτι ἄρχει, οὐδὲ κατὰ τί αὐτοί.*

tari. Erat igitur oraculorum Platonicorum interpres atque *ὑποφήτης*, qui, quae ille de deo rebusque divinis per imagines et symbola proposuerat, accuratius et subtilius exponeret et persequeretur. Nam summum bonum, quod ab unitate suprema vel a maximo deo non diversum esse cognoverat, ita supra res omnes extulit, ut nihil vere de eo praedicari posse diceret, quapropter non prorsus erroris istius, in quem Asiatici quidam philosophi inciderant, crimine absolvendus est, quod, dum nihil de deo praedicare audet, omnia in nihilum ei resolvi atque evanescere videantur. Sed quum bene sensisset, deum incognitum nullum esse, a supremo bono mentem aeternam distinxit, ut alteram divini numinis naturam, per quam deus maximus ab aeternitate mortalium mentibus se patefecerit; in hac divina mente idearum posuit sedem, quarum ad contemplationem primus Plato hominum animos revocaverat; in hac, uti in mente nostra, summas invenit rerum notiones, diversas quidem specie, sed vere easdem; (*ἑτερότης, ταὐτότης*) hanc, uti nostram mentem, perpetuo motam atque efficacem cognoverat et simul maxime immotam et constantissimam; (*κίνησις, ςάσις*) ita unam eam et multa simul esse intellexerat, et ex ea numerorum, quos iam Plato in ideis inesse docuerat, originem repetiit; in hac etiam pulcri sedem esse vidit, quae perfectissima sit supremi dei imago, et pulcri amorem, quo pellamur vehementissime, ab origine nihil nisi dei amorem esse; etiam virtutem veram et perfectam eam censuit esse, si quis corporis vinculis quantum fieri possit solutus puram in se mentem restituerit, et ad hoc summum exemplar virtutes illas quatuor Socraticas revocavit, spreta et contemta virtute ista, quae in officiis vitae humanae administrandis versatur; [77]) ex hac pura veri atque aeterni contemplatione beatissimam quoque homini vitam oriri invenerat et hanc demum *εὐδαιμονίαν* illam esse, a multis frustra quaesitam; [78]) hanc purgatam demum hominis mentem et vere immortalem [79]) et liberam [80]) esse perspexit, et his gravissimis quaestionibus Platonicam facem praetulit ita, ut Platonis de iis dicta multo perfectius enuntiaret. Sed etiam cogitationem iussit a singulis rebus avocari, et summum dialecticae opus id esse monuit, ut mentem humanam ad vera atque aeterna cognoscenda purgaret ac praepararet; [81]) adeo, uti supra mentem divinam summus deus elatus sit, sic mentem humanam supra se attolli voluit, et certissimam dei conscientiam in visu aliquo interno atque intuitu ponens novam dei cognoscendi viam indicavit, non aperuit, quia veram christianae doctrinae

---

[77]) Versatur in hac materia liber *περὶ ἀρετῶν*, I, 2.

[78]) Duos praestantissimos de hac re libros scripsit, I, 4. 5.

[79]) Aureis dictis repletus est liber *περὶ ἀθανασίας ψυχῆς*, IV, 7.

[80]) Tractat hunc locum in libris duobus *περὶ προνοίας*, III, 2. 3. tum VI, 8. *περὶ τοῦ ἑκουσίου καὶ θελήματος τοῦ ἑνός*.

[81]) In libro de dialectica, I, 3.

lucem nondum adspexerat. Tum, Platonem secutus, tertio loco genitricem mundi animam posuit, quam a summa mente numquam divulsam esse docuit, sed, quum ipsa mente quasi excedat et aliquid extra mentem esse velit, externa omnia gignere et primum coeli perpetuum motum atque signa, tum omnia animantium genera, quae debiliorem usque dei imaginem referant, producere; in hac divina anima et temporis et spatii primam originem posuit, ex hac eiusque aeterna dei ac mentis contemplatione naturae pulcritudinem et admirabilem varietatem deduxit. Substitit tandem in materiae notione, qui sit ultimus quasi finis, ad quem mentis animaeque creatrix vis pervenire possit. Ita de Platonis lumine suum accendit lumen et audacius quam omnes ante eum philosophi in divina numinis mysteria penetravit, ut omnem reperiret veritatem. Sed in hac quidem re Platone multo inferior fuit et temporis calamitati succubuit, quod ad vitam vere vitalem non, uti Socratici, strenua illa virtute, qua in vita et publica et privata bona et perficere et propagare studeamus, sed otiosa quadam dei contemplatione perveniri posse putabat; tantum ab alacerrimo christianorum hominum studio aberat, qui non solum ipsi volebant dei simillimi fieri et beatissimi, sed etiam regnum divinum assiduo labore condere, augere, promovere.

## Caput II.

### Plotinus Aristotelis et interpres et adversarius.

Plotinus quamvis Aristotelem saepe gravissime reprehendat, multa tamen ex eius thesauris recepit et in suum usum convertit; sed ita iis usus est, ut philosophum decet; nam refellens simul interpretatur Stagiritam, neque ei contradicit tantum, sed notiones ab illo propositas ipsas interdum sibi contradicere ac repugnare studuit ostendere. In singulis vero doctrinae Peripateticae partibus tractandis hoc fere consilium secutus est, ut logicam Aristotelis disciplinam dialectica arte, quam a Platone splendidissime laudatam ipse excoluit maxime, multo inferiorem haberet, de physica eius doctrina, quippe quam minus recte intellexisset, iniquius iudicaret, ethicam repudiaret, ex metaphysicis denique permulta reciperet, in iisque vel explicandis vel augendis atque amplificandis vel refutandis libentissime versaretur. Omnino vero Aristotelis armis Aristotelem im-

pugnare ausus est, quamquam argumentatio eius saepe Peripateticos magis tangit quam ipsum scholae huius auctorem, quem si minus Platonicis oculis legisset, multa fortasse ab eo dicta rectius intellexisset. — Aristoteles in tota sua philosophia id potissimum egit, ut ipsam cogitationem certis legibus et limitibus circumscriberet et universas illas rerum notiones, quibus cogitantes quasi inclusi tenemur, puras, fixas, omni numero absolutas proponeret atque accuratissime enuntiaret, tum, ut demonstraret, singula quaeque ex his universis notionibus nexa esse cum iisque admirabili modo congruere. Sic totum scientiae humanae campum emensus tandem et ipse ad rectiorem aliquam dei cognitionem pervenit, sed quum homines recte non posse philosophari cognovisset, nisi res singulae certissime essent definitae atque ad universas leges ac rationes revocatae, a Platonicis incusatus est saepe, (neque nunc ista opprobria prorsus ex hominum memoria evanuerunt) quod a divinis atque aeternis rebus cogitationem ad ea, quae sensibus obiiciuntur, cognoscenda quasi depresserit; scilicet parum isti memores fuerunt, multo excelsius hoc esse philosophandi genus, si quis res sensibiles atque externas vere cognoscere et in iis aeternam constantemque divinae rationis legem reperire studeat, quam illud, quod rebus singulis spretis atque abiectis in ideis, quae dicuntur, commoratur et, dum notiones universas aucupatur, nubem saepe vanamque speciem pro Iunone amplectitur. Iam quum primum Aristotelis officium esset, ut ipsi cogitationi formas ac rationes praescriberet, logica disciplina, quae in categoriis, definitionibus, inductione, syllogismis versatur, fundamentum sane universi doctrinae eius aedificii fuit, sed non fastigium et culmen; quod si semper ab omnibus, qui de Aristotele disseruerunt, intellectum esset, aut omnino non disputavissent contra eum, aut alio certe modo ei oblocuti essent; nam definitionibus et syllogismis non omnia in philosophia perfici, sed ista rudimenta tantum cogitationis et prima tirocinia esse, quis ipso Aristotele melius cognovit, quem videmus in metaphysicis, quae vocantur, de summis rebus disputationibus sine adminiculis illis firmiter incedere et veritatem non formulis quibusdam notionum sed ipsis notionibus explicandis indagare? — Gravissima et uberrima illa est Plotini disputatio, in qua categorias et Peripateticorum ab Aristotele positas et Stoicorum per tres continuos libros (VI, 1—3.) sub censuram vocat et sagacissime, quid in iis veri sit, quid falsi, examinat. Aristoteles quidem ipse categoriis suis non omnem rerum universitatem quasi includere voluerat, sed id tantum ostendere, quomodo verba et dictiones cum notionibus convenirent, et grammaticae aliquod fundamentum iacere, non summa rerum genera proponere; [52]) neque id peccavit, quod sectatores eius, qui

[52]) Ita Trendelenburgius quoque, quo nemo rectius de Aristotelis categoriis disputavit, indicat in disserta-

omnis philosophiae initia in iis inesse et infinitam rerum ac notionum varietatem his angustis finibus coerceri arbitrabantur. Quamquam, qui diligentius Aristotelem intelligere cupit, is inveniet, iam categoriis illis indicari quodammodo, quo tota eius doctrina tendat, quod praecipue in essentiae (οὐσίας) notione definienda factum esse cernimus. Plotinus igitur decem illas categorias ab Aristotele propositas, (οὐσία, τὸ ποσὸν, τὸ ποιὸν, τὸ πρός τι, ποὺ, ποτὲ, κεῖσθαι, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν) in quibus summam quasi universae Peripateticorum doctrinae opinabatur inesse, non ipsa rerum genera esse ostendit, sed, si earum notiones recte intelligantur, summa rerum genera in iis latere quodammodo et ex iis cognosci atque explicari posse. Quam ob causam, quum Aristoteles nec mutuum earum inter se nexum neque originem exposuisset, ipse plenam illarum notionum vim perscrutari atque aperire studuit, cuius disputationis hic prima tantum delineamenta possumus describere. Et primum quidem essentiae (οὐσία) categoriam et per se vagam atque ambiguam esse nec satis certis finibus a reliquis generibus discerni ostendit, quia id, quod non sit, ne cogitari quidem possit, omnia igitur quodammodo partem aliquam huius notionis habeant. [83]) Tum quanti notionem non simplicem esse monet, sed diversis duabus compositam, numero et magnitudine, quum, quidquid magnitudinem aliquam habeat, id iam numeri notione comprehensum et definitum sit; solos igitur numeros in rerum generibus fuisse ponendos, non quanti notionem admiscendam, quae non in ipsos numeros sed in res tantum numeratas cadat. [84]) Simili vitio etiam qualis notionem laborare censuit, in quam, quum quatuor contineat species, habitum ac conditionem, (ἕξις καὶ διάθεσις) potentiam, (δύναμις) affectum, (πάθος) formam, (μορφή) diversissima collata sint; praeterea non definivisse Aristotelem, quomodo attributa, quae ad qualitatem pertineant, ab attributis istis, quae ipsam rei alicuius naturam constituant, discernenda sint. [85]) Maxime vero sub relationis categoriam congesta esse multa demonstravit, quae ad diversa rerum genera pertineant; nam relata inter se nominari, quae aliquo modo inter se nexa sint, sed non esse expositum, qui sit ille nexus, quae eius causae; insuper, quae sint qualia, saepe simul inter se relata esse, ita ut laxior sit et latior huius categoriae ambitus. [86]) Porro quas categorias particulis ubi et quando indicari voluerit Aristoteles, eas nullas esse,

---

tione de Aristotelis categoriis, Berol. 1833. Magis vero ad ea vellem attendisse eum, quae Plotinus de hac materia attulit.

[83]) Ar. categ. c. 5. Plot. Enn. VI, 1, 1 - 3.

[84]) Ar. categ. c. 6. Enn. VI, 1, 4 - 5.

[85]) Cat. c. 8. Enn. VI, 1, 10 - 12.

[86]) Cat. c. 7. Enn. VI, 1, 6 - 9.

quia indicent, certam aliquam rem in certo aliquo loco vel tempore esse; puras potius temporis et spatii notiones fuisse indagandas.[87]) Ultimas denique quatuor categorias habendi, situs, agendi, patiendi, non minus esse ambiguas, quod qualia quoque et quanta attributa sua habere dicantur, situs et ad formam et ad locum pertineat, agere denique et pati aliquid diversis maxime rationibus dici; fuisse igitur adscendendum ad universam motus notionem, et inde varias agendi patiendique species deducendas.[88]) Sic igitur Aristotelis in definiendis categoriis consilium non recte perspexit, sed id certe vidit, quomodo his cogitationis initiis iam rectior via ipsarum rerum cognoscendarum indicata esset. Ipse vero iis quasi scalis usus est, quibus ad altiora adscenderet; primum enim res omnes, quas sensu percipimus, et quaecunque de iis praedicamus, ad quinque genera retulit, tum alia eorum, quae mente tantum concipiantur, alia rerum sensibilium genera posuit. Essentiae notionem secundum Aristotelem ita definit, ut materia et forma quasi composita sit;[89]) quale et quantum ad unum commune genus refert, et ita ab essentia discernit, ut iis non ipsam rei naturam constitui dicat, sed talia esse attributa, quae ipsi rei notioni extrinsecus videantur accesisse et fortuiti magis quam necessarii speciem aliquam prae se ferant;[90]) relationem veram tum demum fieri rectissime sensit, si mutuus causarum nexus inter relatas ad se invicem res intercedat;[91]) motus et mutationis notione omnia vidit contineri, quae vel agere aliquid vel pati dicantur;[92]) denique tempus et spatium vacuas esse formas docuit, quibus sensibilia omnia circumscripta sint;[93]) quae generum summorum definitio quantum ad accuratiorem rei grammaticae cognitionem conferre possit, infra videbimus. Intellexit vero id quoque, in mente divina, cuius etiam nostri animi non sint expertes, discrimina, quo quinque illa rerum genera distineantur, nulla esse; nam in mente nihil esse fortuitum, nihil alienum vel extrinsecus adscitum, sed omnia libera aliqua necessitate ex ipsa mentis actione prodire; primariam igitur notionem, quam de se mens concipiat, essentiae esse, sed purioris istius, quae non materia et forma composita sit, sed ipsa in se causam, quod sit, habeat; quale autem et quantum mentis non esse attributa, sed quum una aeterna mens infinitam aliquam notionum atque

---

87) Cat. c. 9. Enn. VI, 1, 13. 14.

88) Cat. c. 9. Enn. VI, 1, 15-23.

89) Enn. VI, 1, 2-8.

90) Enn. VI, 3, 8. 11-20. De qualitate, in mente ab essentia non diversa, scripsit subtilissimum librum II, 6. *περὶ οὐσίας καὶ ποιότητος.*

91) Enn. VI, 3, 27.

92) Enn. VI, 3, 21-27.

93) Enn. VI, 3, 4. De tempore scripsit libellum peculiarem: *περὶ αἰῶνος καὶ χρόνου,* III, 7.

idearum varietatem contineat, neque vero umquam naturam suam vere mutare possit, tantum hoc de ea praedicari posse, eam esse eandem simul et diversam; sic in quanti et qualis locum praedicata eiusdem (ταὐτότης) et diversi, (ἑτερότης) iam a Platone indicata, successerunt, quae notiones cogitatione quidem distinguantur, vere eadem sint. Tum etiam viderat, mentem neque in tempore neque in loco esse, neque ab alienis rebus impulsam agi ac pati, sed perpetuo sua vi, suo impetu moveri et simul sua natura immotam perstare; remotis igitur agendi, patiendi, loci, temporis categoriis, motus (κίνησις) et status (στάσις) notiones in res intelligibiles transtulit, ita quidem, ut hae quoque non per se sed cogitatione tantum diversae sint. Denique quum cognovisset, mentem ad se tantum posse referri, quum alia omnia ex ipsa exoriantur et prodeant, relationi, quam ibi nullam esse ostendit, mutuum istum causae atque effectus nexum substituit, quo mens aeterna sui simul causa atque effectus sit; sed novum aliquod genus, quo hic nexus indicaretur, non induxit, quia iam in notionibus motus et status eum inesse intellexerat. [94]) Ut categorias, ita etiam syllogismos reiecit iisque multo inferiorem, quam vulgo in scholis philosophorum fiebat, locum assignavit; [95]) sed etiam hac in re cum Aristotele inscius consensit. — Physicam Aristotelis doctrinam, in qua simul et minutissimas res diligentissime exploraverat et singula quaeque ex primis causis ac rationibus explicaverat, minime intellexit Plotinus, quia in sui et dei contemplatione defixus res singulas atque externas dignas non habebat, ad quas attenderet; et quamvis, quod iam supra monitum est, interdum, ubi de rerum naturalium fine et consilio disserit, ultra Platonem atque Aristotelem in arcana naturae penetrare videatur, in cognoscendis tamen et diiudicandis rebus, omni experientia repudiata, ex ipsa mente omnia, quae a natura fiunt, explicat, et dum in tota rerum universitate mentem mente, animam anima tangi existimat, corporum natura neglecta ad mysticam aliquam devenit rerum explicationem, qua nihil explicatur, sed omnia obscurantur. Hanc omni ratione carentem naturae contemplationem praecipue in eius de sensibus opinione conspicimus, quos ad internam aliquam animi cum rebus convenientiam vel συμπάθειαν revocat, neque media corpora statuit, per quae rerum imagines vel affectiones ad sensus nostros perveniant, quum contra Aristoteles multo rectius docuisset, nihil, quod in sensus cadat, sine medio aliquo percipi, ne ea quidem, quae tactu sentiamus, in quibus vulgo nullum esse medium putamus. [96]) Quamquam, ut ostendat, sentientes nos non solum pati aliquid sed agere, neque externas tantum

---

[94]) De his rerum intelligilium generibus agitur in toto libro altero Enneadis sextae.

[95]) Enn. I, 3. IV, 4, 5. 6. et saepe. Sic etiam demonstrationem (ἀπόδειξιν) rectam veri inveniendi viam ac rationem esse negat V, 5, 1.

[96]) Arist. de anima II, 6-12, cui contradicit Plotinus in libro περὶ ὄψεως, Enn. IV, 5.

imagines recipere, sed libera aliqua mentis actione perceptas fingere et formare, Aristotelem sequitur, qui et ipse rectissime dixerat, quemvis sensum iudicium esse, neque quidquam percipi posse a nobis, nisi iudicium aliquod, quo res externae ad sensus nostros referantur, accederet;[97]) quamobrem uterque philosophus corporis illa instrumenta, quibus sensa recipimus, medium aliquid inter mentem percipientem et rem perceptam esse putavit,[98]) quo res nobis quodammodo assimulentur. Quintum vero illud corpus, quo Aristoteles opinatus erat coelestia corpora constare,[99]) Plotinus prorsus reiecit, quia quatuor ei, ut Platoni, elementa ad formandas cunctas res mundanas sufficere videbantur, et purum illum ignem, quo astra constare putabat, tam subtilem censebat esse, ut multo praestantior esset quam reliquorum corporum natura,[100]) neque novum aliquod subtilius corpus opus esset fingere. — Ethicam Peripateticorum doctrinam saepe reprehendit, quia nimis ei humilis et humana videbatur, non satis pura et divina;[101]) nam quum illi etiam externa quaedam vitae bona statuissent, ipse aliud bonum esse negat, quam vitam ab omni corporis contagione purgatam et menti deoque unice deditam. At in constituenda beatitudinis notione ab Aristotele sane exorsus est, dicens, eam in se finem et modum habere, ita ut semper eadem sit;[102]) nam non aliter Aristoteles et virtutem et beatitudinem, quae virtute paratur, definiverat;[103]) et quid omnino sublimius dici potuit, quid gravius, quid dignius, quam illa vitae beatae descriptio, quae in ethicis Nicomacheis legitur?[104]) ut hic quoque Peripateticos magis quam ipsum Stagiritam tangant ea, quae Plotinus contra eius de summo bono sententiam attulit. Qui hac in re easdem fere partes, quas plerumque in Platone egit illustrando, in Aristotele interpretando egisse videtur; nam quum Aristotelis definitio, virtutem modum esse et medium aliquid inter opposita vitia, ambiguitate aliqua laboraret, Plotinus eam ita auxit et perfecit, ut veram virtutem ex ipsa mentis natura repeteret, quae, dum ad divinam mentem redire cupit, mo-

97) Arist. de anima III, 2. Enn. IV, 6, 2.

98) Ar. de anima II, 5. Enn. IV, 4, 23. *μέσον ἀνάλογον συνάπτον πως (τὸ αἰσθητικόν) τὰ ἄκρα ἀλλήλοις· δεκτικὸν ἅμα καὶ ἀπαγγελτικὸν ὑπάρχον, ἐπιτήδειον ὁμοιωθῆναι ἑκατέρῳ.* Cf. I, 4, 10.

99) Ar. de coelo I, 3. II, 3. *σῶμά τι θεῖον* coelum nominavit Aristoteles.

100) Enn. II, 1, 2. 5, 3.

101) Totus liber *περὶ εὐδαιμονίας* (I, 4.) in refutandis et Peripateticis et Epicureis versatur.

102) Enn. I, 5, 6. *τὸ τῆς εὐδαιμονίας ὅρον τε καὶ πέρας ἔχει, καὶ ταὐτὸν ἀεί.*

103) Ar. eth. Nicom. I, 7. *τέλειον τὸ καθ' αὑτὸ αἱρετὸν αἰεί, καὶ μηδέποτε δι' ἄλλο. Τοιοῦτον δ' ἡ εὐδαιμονία μάλιστ' εἶναι δοκεῖ.* I, 13. *ἡ εὐδαιμονία ψυχῆς ἐνέργειά τις κατ' ἀρετὴν τελείαν.*

104) Eth. Nic. X, 7. *ἡ τούτου (τοῦ ἐν ἡμῖν θειοτάτου) ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία.* Quod etiam a recentioribus in ethicam Aristotelis doctrinam saepe iudicia Aristotele indignissima iactata sunt, factum esse videtur, quia ad praeclaras illas sententias, quibus ultimus ethicorum Nicomacheorum liber refertus est, parum attenderunt.

dum sibi et finem ponit et veram in se vitae *ἁρμονίαν*, quam dicunt, restituit; simul, quum Aristoteles singulas virtutes ad res externas, in quibus subigendis versamur, retulisset, Plotinus vidit, in sola mente, non in aliis rebus, et virtutis universae et singularum virtutum principia esse posse. Quamobrem non solum virtutes illas, quae in publicis negotiis administrandis occupantur, inferiores esse duxit,[105]) sed omnino, quidquid in virtute non ex veri cognitione sed ex usu aliquo et consuetudine exortum esset, id virtutis nomine indignum esse putavit;[106]) quod non ita intelligendum est, ut eum exercitationes illas et corporis et animi, quibus ad virtutem praeparamur, repudiasse putemus; nam quantum Platonici et antiquiores et recentiores his exercitationibus et quasi purgationibus animi tribuerint, res est notissima.[107]) Etiam quaestiones illas, quas Socratici primi excitaverant, Aristoteles accuratissime tractaverat,[108]) de libertate arbitrii et voluntatis, Plotinus sagacissime persecutus est; vidit enim, Aristotelis vestigiis insistens, non idem esse arbitrium et voluntatem, et intellexit tandem, veram voluntatis libertatem non in arbitrio vel boni vel mali eligendi ponendam esse, sed illum demum liberum esse, qui malis omnibus affectibus et studiis ita purgatus sit, ut nihil nisi bonum appetere possit; hanc esse dei, hanc aeternae eius mentis libertatem, quam si quis, ut vulgus hominum facere soleat, cum arbitrio quidvis faciendi confundat, eum in deo malum esse opinari.[109]) — Plerumque vero Plotinus in summis illis notionibus, quibus inventis Aristoteles in libris metaphysicis Platonicam doctrinam et perfecit et correxit, eum sequitur, et, quod omnibus maxime commendandum est, qui serio philosophiae operam dare volunt,

---

105) Enn III, 8, 4. *ἡ πρᾶξις ἀσθενεστάτη θεωρία.* Sed iam Aristoteles politicis istis et practicis, quas dicebat, virtutibus inferiorem, quam virtuti theoreticae, a sapientia non diversae, locum attribuerat; eth. Nicom. X, 7.

106) Reiicit igitur virtutes, quas ethicas nominaverat Aristoteles, Enn. I, 1, 10. (*αἱ ἀρεταὶ αἱ μὴ φρονήσει, ἔθεσι δὲ, ἐπιγινόμεναι καὶ ἀσκήσεσι, τοῦ κοινοῦ.*) Totam virtutis definitionem ab Aristotele inventam improbat VI, 20. Ceterum Aristoteles et ab antiquis et a recentioribus multo rectius intellectus esset, si, qui de eo disseruerunt, reputavissent, illum bene discernere virtutes ethicas et eas, quae ad mentem magis pertinent, (*διανοητικαὶ ἀρεταί*) eth. Nicom. I, 13. et quod virtutem medium esse vult inter opposita vitia eiusque diversas species secundum res externas, in quibus tractandis virtus conspicitur, discernit et distribuit, hoc non ad puram illam mentis virtutem sed ad ethicam esse referendum, cuius est opus, ut varia hominum studia ad unam normam et regulam exigat; cf. eth. N. II, 1. sqq.

107) Singula stadia, quibus homini ad virtutem enitendum esset, comparare solebant cum gradibus illis, per quos mystae ad arcana spectanda adscendebant; cf. Olympiod. schol. ad Alcib. ed. Creuzer, p. 8.

108) Eth. Nicom. lib. III. Aristoteles discernens liberum arbitrium (*τὸ ἑκούσιον*) et voluntatem illam, quae rationis praecepta sequitur, (*ἡ προαίρεσις*) viam aperuit omnibus, qui rectius has res cognoscere cuperent. Plotinus, quamquam dogma Socraticum ab Aristotele reiectum: *ἁμαρτία ἀκούσιον* et ipse proposuit, (Enn. III, 2, 10.) addit tamen Aristotelem secutus: *ἀλλ' ὅτι αὐτοὶ ποιοῦσι,* (*οἱ ἁμαρτάνοντες*) *διὰ τοῦτο καὶ αὐτοὶ ἁμαρτάνουσι.*

109) In egregio de libera voluntate libro (VI, 8.) primum Stagiritae de arbitrio et voluntate definitiones recipit, (c. 1-3.) tum ad sublimiorem verae libertatis, quae vitam divinam imitetur, notionem attollitur, et unice in bono libertatem esse vidit. (c. 4. sqq.)

id egit, ut fervida boni, pulcri, veri studia a Platonis lectione in ipsius animo excitata ad severam Aristotelis normam examinaret atque dirigeret, ab eoque disceret, quomodo notiones rerum universae et recte definiendae essent et enuntiandae. Recepit igitur ab Aristotele primum ea, quae ille accuratius et subtilius Platone de materia et forma disputaverat, [110]) quod vere totius doctrinae Aristotelicae fundamentum dicere possumus; nam nec materiam sine forma nec sine materia formam aliquid esse rectissime cognoverat, et unam altera ita indigere, ut utraque demum coniuncta vera essentiae notio expleatur; Plotinus haec ita amplificavit, ut, Platonem cum Aristotele concilians, duplex istud omnium rerum externarum et sensibilium principium esse statueret, et quidquid in iis infinitum, malum, deforme esse videretur, id materiae attribueret, quidquid finitum, bonum, pulcrum, formae supervenientis opus esse putaret; quamobrem etiam tertium illud, quod in singulis rebus invenerat Aristoteles, principium, privationem, (ςέρησιν) a materia, prima negationis omnis ratione, ipse noluit distingui. [111]) Tum Stagirites, ad rerum vires et mutationes attendens, aliud invenerat discrimen, potentiae (δύναμις) et efficaciae, (ἐνέργεια) priori isti materiae et formae non dissimile; nam quidquid fieri potest, materiam nominaverat, efficaciam vero illam, qua vere aliquid fit, formae assignaverat. [112]) Hoc discrimen nullum esse in mente aeterna, quae omnia semper efficiat, quae facere possit, et ipsam animae vitam non, uti res inanimas, ab aliis rebus moveri atque impelli, sed suo motu efficacem esse et potentiam suam agendo perpetuo exserere, iam Aristoteles viderat; [113]) Plotinus librum exigui voluminis sed gravissimi argumenti de his notionibus scripsit, quo diversas earum formas exposuit et ostendit, in ipsa mente esse quidem et vim agendi et ipsam actionem, sed utramque cogitatione tantum discerni, vere non esse diversas. [114]) Eo magis admiramur, quod Lycopolitem ita ab uberrima illa notione proprii et efficacis animae motus, quem Aristoteles ἐντελέχειαν nominaverat, [115]) quo verbo indicaverat, animam ipsam et motus sui causam et finem esse, abhorrere videmus; nam, quamquam idem fere de animae natura docuit, [116]) acerrime tamen illud dogma,

---

[110]) Metaph. VII.

[111]) In libris de materia, supra a nobis laudatis, plerumque Aristotelem sequitur Plotinus. — Privationis notionem primus Aristoteles a materia discernere instituerat, phys. I, 9. met. IV, p. 113. Br. IX, p. 201. Plotinus hoc discrimen recepit, (II, 4, 14.) sed simul absolutam et puram privationis notionem in materia invenit. (I, 8, 11.)

[112]) Metaph. VIII.

[113]) Met. VIII, p. 177. 183-190. Br.

[114]) II, 5. (περὶ τοῦ ὃ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ.)

[115]) De anima II, 1. cf. met. VIII, p. 179. 183. et saepe.

[116]) In libris de animae natura Enn. IV, 1-4. et saepe in aliis.

quod philosophiae Aristotelicae culmen quasi fuit, impugnavit; [117]) non alia fortasse causa motus, quam quod Peripateticos quosdam, qui sententiam magistri minus recte perspexissent, in eorum errores recidisse viderat, qui animam corporis aliquam harmoniam et vim fictricem esse putarent, non ipsam in se aliquam vitam vitalem habere censerent. [118]) Neque rectius intellexisse videtur, quid Aristoteli fuerit istud *τὸ τί ἦν εἶναι,* qua formula notionem universam in singulis rebus conspicuam significavit, [119]) et quod discrimen ille statuerit inter *εἶναί τι* et *εἶναί τινι,* ut illud rem ipsam, quam cernimus, hoc et rem et notionem eius indicet; [120]) nam utramque notionem improbat, scilicet quia res singulas sensibus perceptas pro vanis notionum imaginibus habebat, et in sola mente veras rerum species sitas esse putabat. [121]) Id vero recte vidit, Aristotelem naturam animae nondum ab omni parte accurate definivisse; qui quum mentem separabilem a corpore esse docuisset et prorsus diversam ab anima statuisset, duplicem quasi animi humani naturam induxisse videbatur, ita ut anima corporis sit domina ac magistra, mens animae; quod quamvis contra physicos illos, qui mentem ab anima numquam satis distinxerant, (quorum in numero fuerat etiam Anaxagoras, primus *τοῦ νοῦ* vindex et repertor, [122]) verissime monitum esset, minus tamen in hac doctrina cognosci poterat, qui mentis animaeque sit nexus et quam mentis partem anima habeat; et facile omnino inde Dicaearchi aliorumque errores enasci poterant, qui, ne animum in duas diversas partes discerpere et quasi distrahere viderentur, solam animam aliquid esse neque hanc a corpore separabilem

---

117) IV, 2, 1. Plotinus ibi, negans animam corporis entelechiam esse, se alio loco plura de hac re disputavisse addit; qui locus quum in libris eius a Porphyrio collectis frustra quaesitus esset, iam Fr. Vigerus eum invenit in Eusebii praep. evang. 15, c. 10, unde Creuzerus recepit et libro illi (IV, 2.) memorabile hoc supplementum addidit. Haud immerito Vigerus argumenta Plotini vitrea nominat; qui quamvis id recte dicere videatur, animam maius aliquid esse, quam vim et formam aliquam corporis, parum tamen ad Aristotelis sententiam attendit, qui et ipse animam perfectum in se et ex se motum habere saepissime affirmat; facile igitur Plotino obiicienti, motus et mutationes animae illas, quas non a corpore recipiat sed ipsa cum corpore communicet, ex notione entelechiae explicari non posse, occurrere possit, qui Aristotelem recte intellexit.

118) Sic Dicaearchus magistri sententiam prorsus perverterat, docens, nihil esse omnino animum vimque omnem eam, qua vel agamus quid vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse; Cic. Tusc. I, 10. Idem secundum has rationes non potuit non animi immortalitatem impugnare, quod eum fecisse testatur Cicero Tusc. I, 31.

119) Cf. Trendelenb. in dissertatione de his formulis museo Rhenano (II, 4, p. 457-83.) inserta, et quae idem attulit ad Ar. de anima I, 1, 2.

120) Trendelenb. in dissertatione modo laudata; ipsi de hac dictione egimus de dial. Pl. rat. p. 48, not. 185.

121) Reiicit igitur et deridet eos, qui formulam *τί ἦν εἶναι* ubique iactantes iam satis rem sibi viderentur definivisse, VI, 7, 4. Etiam inter *ψυχὴ* et inter *ψυχῇ εἶναι* negat discrimen esse, scilicet ne compositum aliquid anima esse videatur, I, 1, 2.

122) Arist. de anima I, 2. *Ἀναξαγόρας ἔοικε μὲν ἕτερον λέγειν ψυχήν τε καὶ νοῦν, χρῆται δ' ἀμφοῖν ὡς μιᾷ φύσει.*

opinarentur. Instituit igitur Plotinus ostendere, animam non esse a mente divulsam et vere diversam, sed efficaciam illam esse mentis necessariam, quae sua natura, sua vi, suo motu totam rerum universitatem et gignat et formis vivis repleat; quamobrem ad animae ex mente in ipso deo originem adscendit, et inde, postquam vidit, mentem divinam fieri animam, simulatque ad res singulas efficiendas progrediatur, animae quoque humanae naturam explicare studuit. Quod ita fecit, ut etiam animam, quae a mente illustrata de singulis rebus cogitet, a corpore separabilem esse affirmaret, et, quae Aristoteles de pura mente docuerat, de anima quoque ratione praedita dicendum esse ostenderet; [123]) sic et mentis et animae immortalitatem sibi videbatur satis demonstravisse, quum altera sine altera numquam esse possit. Sed neque Plotino contigit, ut duplicem hominis naturam ad veram omnino concordiam revocaret; nam quum Aristoteles supra animam mentem extulisset, ipse rationalem animam ab anima inferiori sive vitali sive sentiendi vi instructa discerni voluit et illam menti, hanc corpori proxime adhaerere existimavit, ita ut iam ipsius animae natura in duas diversas partes discedere videretur; quam difficultatem nullo modo solvere potuit, quia corpora terrestria non necessaria quaedam animae opificia atque instrumenta sed vana simulacra esse putabat. Quod vero universi animam cognoverat ex mente divina necessario progredi neque umquam ab hac separari, naturam et numerorum et temporis Aristotele altius indagare instituit. Ille enim in ipsa mente numeris locum aliquem esse negaverat, sed numerorum notionem a rebus, quas sensu percipimus, cogitatione avocatam esse dixerat; [124]) tempus vero docuerat motus numerum esse, qui, quum anima sit numerans, neque numerus esse possit nisi in anima, per se sine anima nihil omnino sit. [125]) Plotinus contra iam in mente divina numeros aliquid esse ostendit, quia, simulac mens in infinitam idearum varietatem sese explicet, in ea numeri existant, [126]) qua in re cum non satis distinxisse universam unius et multitudinis rationem a singulorum numerorum notionibus iam supra monuimus; tempus vero non cogitatam tantum esse et inanem aliquam notionem, sed esse quasi formam perpetui illius motus, quo anima universi moveatur, et quaecunque ex mente divina progrediantur statim sub temporis legem cadere, recte perspexit et hac quidem in re Aristotelis doctrinam sagaciter correxit. [127]) Optime vero interpretatur Aristotelem disserentem de pura mente sui conscia

---

[123]) Tractat hanc materiam potissimum, Aristotelica semper dogmata respiciens, in libro: *τί τὸ ζῷον καὶ τίς ὁ ἄνθρωπος.* (Enn. I, 1.)

[124]) Metaph. XII. XIII. Mathematicos ibi numeros a rebus separari non posse (*ἀχωρίςους εἶναι*) docet, illos vero, quos Plato ad ideas referre voluerit, (*εἰδητικοί, ἀσύμβλητοι*) nihil omnino esse; cf. potissimum XII, 6 p. 270. Br.

[125]) Phys. IV, 10. *τοῦτο γάρ ἐςιν ὁ χρόνος, ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕςερον.*

[126]) In libro de numeris VI, 6.

[127]) In libro de tempore et aeternitate, III, 7.

et se solam cogitante; huc enim omnia in Aristotelis doctrina tendunt, haec est summa eius perfectio, hoc ultimum principium, unde reliqua omnia eius placita et illustari poterant et diiudicari; simul congregata in hac notione videmus omnia, quae priores philosophi passim de summo omnium rerum principio aut cogitatione aut divinatione quadam assecuti erant; nam quum Anaxagoras mentem invenisset immixtam et puram, omnium in natura auctorem, sed non exposuisset, quomodo a mente singula producerentur, Diogenes Apolloniates, ut Anaxagoram corrigeret, non mentem ipsam sed mentis actionem aeternam atque inexhaustam (*νόησις*) omnia genuisse docuisset, Parmenides denique immotum istud ens, quod cogitantes finem quasi universae cogitationis reperimus, (*τὸ νοητόν*) eiusque attributa dialectico acumine exposuisset, neque vero ostendisset, quomodo singula ex illo penderent atque exortae essent, Aristoteles docuit, mentem perpetuo se tantum cogitare et esse ipsam nihil nisi aeternam aliquam atque efficacissimam sui cogitationem; sublatum igitur esse in ea cogitantis, cogitationis, cogitati discrimen, quae omnes sint eiusdem aeternae naturae partes. [128]) Sic theologiae, quam summam duxit esse philosophiam, [129]) fundamenta iecit firmissima, quibus usus est Plotinus, ut suum doctrinae de rebus divinis aedificium exstrueret, quo nullum praestantius, nullum firmius meliusque ab omni parte munitum antiquitas protulit; [130]) nam Aristoteles sublimem illam regionem, ad quam et cogitantibus nobis et agentibus semper enitendum est, prospexerat tantum et consalutaverat, non perlustraverat thesaurosque ex ea occultos reportaverat; contigit vero Plotino, ut viam arduam, quae in illam ducit, ab Aristotele praescriptam, a posteris prorsus relictam, denuo inveniret, et, dum pura mente puram mentem cogitat, divinam mentem eiusque cum hominibus et natura nexum purius omnibus philosophis antiquis, evangelii luce nondum illustratis, cognosceret. Nam Aristoteles discrimine invento mentis cogitantis rebusque externis quodammodo affectae (*νοῦς παθητικός*) et mentis agentis, (*νοῦς ποιητικός*) [131]) iam indicaverat, quomodo hominum mentes a mente divina distent, copiosius vero de hac re, in libris quidem, qui ad nos pervenerunt, non egit; quamobrem in tota eius philosophia nec satis accurate perspicitur, quid inter hominum mentem et mentem supremam sive absolutam intersit, neque quomodo singulorum mentes radices suas atque initia in divina mente ha-

[128]) Met. XI, qui liber totus est in illustranda recondita mentis natura, quem utinam Aristotelis osores legissent, priusquam de tanto homine iudicare auderent! Cf. maxime XI, 7. *αὑτὸν νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ· νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν· ὥςε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν.*

[129]) Met. V, 1.

[130]) Theologia Plotiniana reperitur potissimum in Enneade quinta et sextae tribus ultimis libris.

[131]) De anima III, 5. *οὗτος ὁ νοῦς (ὁ ποιητικός) χωριςὸς καὶ ἀπαθὴς καὶ ἀμιγὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ· — χωρισθεὶς δ' ἐςὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐςὶ καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός, καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ.*

beant. Plotinus vero ipsam dei mentem a supremo deo, non vere quidem, sed cogitatione distinxit, et docuit, quomodo et mens cogitans deum perpetuo inveniat et deus perpetuo mentem efficiat et quasi gignat; rediit enim ad notionem boni, quam Plato omnium supremam dixerat, et iam vidit, deum summum esse bonum et id, quo omnis perpetuo et mentis cogitatio et animi actio tendat; agentem igitur deum semper fieri mentem, mentem vero se cogitantem semper simul aliquid se maius atque excelsius et supra ipsam cogitationem elatum invenire, et ita mentem numquam non et prodire ex deo et ad deum redire, cuius aeternae mentis vitae etiam singulorum hominum mentes atque animos partem aliquam habere professus est, quamvis corporis impedimentis turbati non perpetuo puriorem istam cognitionem deique communionem servare possint. [132]) Laboriosi huius itineris non minus, quam Plato, dux ei Aristoteles fuit, quem etiam in iis sequitur, quae Platone rectius de diversis et essentiae et unius gradibus et significationibus disputat. [133])

## Caput III.

### Plotinus grammaticus.

Plotinus quamvis de rebus grammaticis non ex ordine loquatur neque ex eius disciplina ars grammatica illo tempore aliquid profecisse videatur, multa tamen in eius libris dispersa invenias, quae ad accuratiorem et subtiliorem huius doctrinae cognitionem utilissima sint; quae quum a nullo, quantum equidem scio, observata sint,

[132]) Clarissime de dei natura, quam saepe mysticis quibusdam formulis obscurat, et de mentis summique dei nexu exponit VI, 8, 16. *ἑαυτοῦ ἐνέργημα ὁ νοῦς.* — *οἷον πρὸς αὐτὸν βλέπει, (τὸ ἀγαθὸν) καὶ τὸ οἷον εἶναι αὐτῷ τὸ πρὸς αὐτὸν βλέπειν.* cf. c. 20. ubi ab aeternitate mentem ex deo fieri docet.

[133]) Met. II. IV. VI. IX. X. cf. de uno eiusque generibus Plot. Enn. VI, 9, 1-2. ubi secundum Aristotelem id, quod vere est unum, supra numerorum naturam effert et universarum rerum modum et finem esse dicit; cf. Ar. met. IX, 1. de essentia Enn. VI, 2, 1-3. — Quo saepius metaphysicos Aristotelis libros lego, eo magis mihi nonus et decimus liber totius operis consilium et progressum turbare videntur; nihil enim novi continent, sed eadem, quae iam primis libris enuntiata erant, mutatis verbis iterant. Videntur igitur hae disputationes Aristotelici cuiusdam opus esse, qui, quae magister de uno et essentia docuerat, et ipse in vulgus enuntiare voluit.

hic composuisse a fine huic scriptioni proposito haud alienum erit. Omnino enim, uti corpus umbra, sic grammatica philosophiam sequitur, neque umquam verus exstitit philosophus, qui non aut ipse grammaticus fuerit aut doctrina sua novam iis, qui hanc artem tractant, viam ac rationem aperuerit; nam quo quis altius notionum summarum, quas cogitando mens invenit, naturam atque ubertatem cognovit, eo rectius de linguae origine ac legibus iudicabit, quum verbis notiones quasi speculo, in quo fidissimam rerum imaginem inspicimus, reddantur atque exprimantur. Quamobrem grammatici Graeci, quos multo subtilius recentioribus plerisque linguae leges ac rationes explorasse nemo negabit, et ex Aristotelica philosophia et ex Stoicorum doctrina artis suae et summa praecepta et initia ac principia haurire consueverant; nam aut ad decem Aristotelis aut ad quatuor Stoicorum categorias singulas orationis partes revocare studebant et ex disciplina logica utriusque scholae repetere supremas verborum construendorum et copulandorum leges. Multo minus vero grammatici antiqui Platonem eiusque scholam sectati sunt, quod sane admirabile alicui videatur; nam primus omnium Plato rectiori grammaticae cognitioni fundamenta iecit in Cratylo, [134]) qui liber etiam nunc minime negligendus est iis, qui altius has res indagare volunt. Sed non sine causa aliqua factum esse videtur, ut, qui de linguarum legibus disputarent, Platonicam philosophiam minus curarent; nam in Peripateticorum et Stoicorum disciplina notiones fixas, certas, stabilitas et formulas quasdam constantes inveniebant, quas in suum usum adhibere possent, in Platonica vero doctrina omnia iis diffluere videbantur, quum in ea notiones non solum fixae, sed etiam motae et quasi fluentes proponerentur et ostenderetur, quomodo vel diversissimae notiones inter se nexae essent et commune aliquod vinculum haberent. Sic, quod multos grammaticos a Platonica philosophia absterruit, id potius eos excitare debebat, ut diligentissime eam tractarent; nam quod philosopha illa, quae dicitur, grammaticae cognitio, in qua excolenda superiori saeculo multi frustra desudaverunt, hodie a multis contemnitur et fere deridetur, hoc aliter fieri non potuit, quia plerique, qui linguae leges ex legibus mentis repetere studerent, eam ad fixas illas seu Aristotelis seu Stoicorum seu Kantii categorias applicaverunt, populorum temporumque discrimina nihil curantes, et ita vivum linguae corpus enecave-

[134]) Si quis remotis lepidissimis istis verborum derivationibus, quas non serio sed per iocum et ut Heracliteos quosdam derideret Plato instituit, huius dialogi consilium cognoscere studeat, is inveniet iam indicatam in eo mediam illam et regiam viam, qua grammaticis semper incedendum est. Nam lingua neo simplices purasque mentis notiones nec sensuum tantum perceptiones exprimi docet, sed cunctas in ea animi actiones operari; vidit quoque, plurima quidem in linguis e naturae quadam imitatione exorta esse, sed etiam usui et arbitrio loquentium haud pauca deberi; denique intellexit, iam prima linguae elementa debere aliquid significare; ad quae omnia si semper recte attendissent, qui de rebus grammaticis scripserunt, minus saepe in contraria vitia incidissent.

runt et quasi cruci affixerunt; sed grammatica vere philosopha tum demum existet, si grammatici, singularum linguarum legibus assidue et diligenter exploratis, incipient inquirere, quomodo verba notionum non solum statum sed etiam motum, mutationes, vicissitudines, mutuos inter se transitus exprimant, quo facto incognitae multae grammaticae regiones clara philosophiae luce illustrabuntur, quae colligendis tantum et componendis locis, unde usus probetur, numquam recte cognosci poterant. Quae studia eo laetius efflorescent, quum iam his duobus decenniis amplissimi ingeniique felicissimi viri, Guil. Humboldtius, qui primus artem grammaticam ex angustis, quibus inclusa erat, finibus in plenissimam palaestram vocavit, Grimmii, Boppius, Ricardus Lepsius in intima linguarum adyta progredi inceperint reconditamque earum vitam et mentis in iis operantis officinam rimari. Sed iam ad Plotinum nobis redeundum esse video, qui quamvis, ut solent philosophi, haud raro in verborum originibus et radicibus explicandis sit infelicissimus, multa tamen invenit, quae ad altiorem grammaticae cognitionem pertinerent. Nolumus igitur hic lusus istos persequi, quibus, Platonis exemplum secutus, in etymis indagandis interdum indulget; quod enim in nominibus divinis *Κρόνος, Ἑςία, Ἅιδης* notiones mentis eiusque satietatis, (*κόρος νοῦ*) aeternae essentiae, naturae reconditae atque oculis mortalium occultae invenit, hac in re ingeniosum illum Platonis in Cratylo lusum imitatur;[135]) neque primus excogitavit istud, quod Apollinis nomen ex *ἀ* et *πολύς* compositum purae mentis simplicitatem indicare dicit;[136]) tum quod *ποιός* ad *ποιεῖν*,[137]) *λόγος* ad *λήγειν*[138]) refert, et voces *καιρὸς* et *κύριος*,[139]) *συνεῖναι* et *συνιέναι*,[140]) *ζωή* et *ζεῖν*,[141]) *σχίσις* et *σχέσις*,[142]) inter se cognatas esse putat vel certe paronomasias aliquas in iis componendis aucupatur, haec omnia falsam illam, quam Plato deridet, Heracliteorum aliorumque sophistarum artem spirant. Et omnino, quum multi multa de literarum elementorumque linguae interna vi et significatione somniaverint, minime hoc studium, si circumspecte et caute agatur, reiiciendum erit; nam homines dicentes saepe inscii naturali quodam recti verique sensu moti certam aliquam legem sequuntur. Quam ob rem sagacissime quidem nec sine aliqua veri specie de vocabulis *ἕν* et *ὄν*, *εἷς* et *εἶναι*, quae ab

---

135) De *Κρόνῳ* cf. Enn. V, 1, 4. 7. praeiverat Plato in Cratylo p. 396. *Ἑςίας* nomen idem vult esse quod *οὐσίας*, V, 5, 5. VI, 2, 8. cf. Crat. p. 401. In *Ἅιδου* nomine multa luserunt antiqui; Crat. p. 403. 404. Enn. VI, 4, 16.

136) Enn. V, 5, 6. Iam Pythagorei ita hariolati erant in hoc nomine explicando; cf. Plut. de Is. et Osir. p. 561. Wytt. et Creuzeri ad Plotini locum adnotationem. — Eodem loco secundum Platonem, (Crat. p. 405.) qui et ipse multa de Apolline locutus, eius nomen ab *ἁπλοῦς* deducit.

137) VI, 1, 12.

138) VI, 8, 15.

139) VI, 8, 18.

140) VI, 9, 6.

141) V, 6, 11.

142) VI, 6, 14.

origine cognata esse censuit, ita disserit, ut in arcana mentis, quae sonis sui aliquam imaginem exhibere voluerit, descendere videatur; nam postquam mens vocabula *εἶναι, ὄν* formaverit, iam ultra dicit progredi noluisse, sed, quum se unam esse intellexisset, sono quasi cohibito et temperato enuntiasse istud *ἕν*, quod tenui magis atque exiliori sono a voce *ὄν* differt. [143]) — Multo plura de partibus orationis earumque significatione et distributione exhibet; nam ut ipsius vocabuli tres partes discernendas esse vidit, elementa individua, (*ἄτομα*) species, (*εἴδη*) quas in syllabis posuit, genus, (*γένος*) vel totum vocabulum, et literas et species in se continens, [144]) sic etiam rectissime intellexit, triplicem singulorum verborum usum et quasi functionem esse; unumquodque enim verbum primum esse v o c e m, (*φωνή*) si sonum tantum et elementa eius spectes, tum n o m e n, (*ὄνομα*) quo rerum notiones significentur, denique v e r b u m, (*λόγος*) si enuntiati pars sit. [145]) Praeivit igitur iam Plotinus rectiorem illam grammaticae distributionem a Reisigio inventam, qui inter etymologiam et syntaxin semasiologiam, quam dicebat, interposuit. Singulas orationis partes quum vidisset secundum Aristotelis categorias minus definite discerni, quod nec numeralia omnia sub notionem quanti redigi possent, [146]) neque agendi patiendique notiones vere inter se essent diversae, [147]) denique quod, si verbum quatuor diversis categoriis, a g e n d i, p a t i e n d i, h a b e n d i, s i t u s attribueretur, praeter necessitatem divellerentur, quae coniungenda essent, [148]) ipse quinque illa rerum genera posuit, quibus verborum genera haud immerito putabat melius posse accommodari. Nam quum primum e s s e n t i a e genus nomini substantivo assignandum esse intellexisset,

---

[143]) Ita explicanda esse censeo verba Plotini V, 5, 5: *οἷον ἐναπερείσαντος ἐν φθόγγῳ αὐτὸν τοῦ φωνοῦντος ὑφίσταται τὸ ἕν.* Cf. infra: *οὗτοι γὰρ οἱ φθόγγοι θέλουσι σημῆναι τὴν ὑπόστασιν γεννηθέντος ὠδῖνι τοῦ φθεγγομένου, ἀπομιμούμενοι ὡς οἷόν τε αὐτοῖς τὴν γένεσιν τοῦ ὄντος.* Neque negari potest, in plerisque linguis, quae ex indo-germanica, quam vocant, linguarum familia exortae sunt, u n i u s et e n t i s notiones similibus verborum sonis et formis exprimi, quod facile inde explices, quia ipsae notiones sunt tenues quasi, exiles, a sensuum perceptionibus remotae. Utramque vero radicem proxime tangunt particulae *εἰς, ἐν*, in, uti particulae *ἐξ* et *διά*, quae exitum et divisionem significant, aliquam similitudinem prae se ferunt numeralium, quae alterum numerum (exitum ex uno, unius divisionem) indicant; ut enim *διά* prope accedit ad *δύο*, unde etiam radices *δέομαι, δείδω*, adeo particula *δὲ* originem habere videntur, sic vocabula *ἕτερος, ἑταῖρος, ἔτι*, (si solitam istam tenuium literarum *κ* et *τ* permutationem statuamus) et magis etiam s e c u n d u s, *ἐκεῖνος, ἑκάτερος, ἕκαστος*, ad *ἐκ* particulam alludunt. Sed manus ab his rebus abstinenda est, ne me quoque diffluentibus illis hominibus, quos Plato deridet, adnumerent.

[144]) VI, 3. 1. 2.

[145]) VI, 3, 19.

[146]) E numeralibus cardinales tantum meram quantitatem exprimere vidit, derivata vero eorum, (affert exemplum *ὁ διπλάσιος*) ut ordinalia, iam ad aliud verborum genus quasi transire, Enn. VI, 1, 9.

[147]) VI, 1, 19.

[148]) VI, 1, 23.

(quidquid enim substantivis enuntiatur, materia quodammodo et forma constat) notiones illas, quae, quum non ad ipsam rei notionem pertinerent, sed fortuito atque extrinsecus viderentur accessisse, accidentia vel adiuncta nominari possent, duobus censuit verborum generibus exprimi, quorum unum numerorum, alterum aliorum attributorum definitiones comprehenderet; recte igitur vidit, adiectiva et numeralia, quamvis inter se diversa, sub unum commune genus revocanda esse. Tum, quaecunque ad motum pertinerent, verbo indicari existimavit; loci vero et temporis categoriae particulas temporis et loci attribuit; scilicet discrimen istud, quod etiam nunc libri grammatici servant, praepositionum et adverborum loci ac temporis neque ipse neque Aristoteles agnovit; relationem denique non eodem semper verborum genere, sed substantivi genitivo, adiectivi comparatione indicari sensit, quibus etiam pronomina correlativa, coniunctiones, nominum compositiones addere potuit. [149]) Sed uti Plotinus indicavit, in puris, quas ex se mens gignit, notionibus categoriis istis nullum locum esse, sed in iis ab essentia tantum motum eius et statum, quo eadem simul et diversa esset, cogitatione discerni, sic non poterat non intelligere, verborum genera secundum hanc rationem aliter et rectius distribui posse. Nam quum essentia de tota mente, summo et cogitandi et loquendi principio, praedicaretur, duplex ex illa ab initio orationis pars exstitit, una, qua stantes, altera, qua motae atque efficaces notiones enuntiarentur; status igitur notio substantivo, motus verbo attribuenda erat. Quare, quum etiam nunc grammatici in diversas partes discedere soleant quaerentes, utrum a nominibus verba an verba a nominibus derivanda sint, Plotinum recte vidisse coniicias, iam in primis linguae initiis et verba fuisse et nomina, quum eaedem notiones tum moveri videantur tum stare. Idem vero (ταὐτόν) et diversum (τὸ ἕτερον) exprimendum erat reliquis nominum generibus; nam mera notio unius et alterius et cuiusvis numeri numeralibus, mera notio eiusdem et diversi pronominibus, diversae denique notionum ac rerum proprietates, quibus inter se distinguuntur, adiectivis enuntiantur. Uberrima igitur et utilissima haec notionum, quas mens ex se concipit, distributio ad grammaticam melius cognoscendam et disponendam fuit, in qua si quis particulas loco suo motas aegre ferat, eum velimus recordari, et secundarias has esse orationis partes, quum aut nominibus ac verbis aut enuntiatis copulandis tantum inserviant, et particulas omnes, id quod iam satis docuit rectior linguarum notitia, aut a nominibus aut a verbis aut a pronominibus originem suam deducere. [150]) — Neque vero solum in universa grammatica distribuenda, sed etiam in singulis ver-

149) Haec omnia a Plotino exponuntur in tertio Enneadis sextae libro.

150) In his sublimioribus mentis categoriis explicandis alter Enneadis sextae liber versatur.

borum generibus definiendis multa egregie et indicavit et exposuit. Nomina enim quum vulgo dicantur esse aut abstracta aut concreta, quae ipsa in collectiva, appellativa, propria discedant, Plotinus paulo aliter distribuenda censuit; nam quum vidisset, diversos esse modos et gradus, quibus singuli rerum ordines unius supremi, quo omnia continentur, partem haberent, tria nominum genera distinxit; aliis enim nihil nisi multitudinem aliquam, non certa aliqua notione sed numero minus definito comprehensam, (collectiva) aliis res, quae in loco extensae continuam aliquam magnitudinem haberent, (inanimata, materalia) aliis denique talia, quae interna quadam vi atque anima continerentur, (animata) significari censuit, quod ultimum genus denuo et genera ac species, (appellativa) et res singulas (propria) comprehendit. [151]) Quod si quis ex Plotino quaereret, quamobrem non etiam abstracta in hunc suum ordinem recepisset, responderet ille, se hic de rebus sensibilibus tantum dixisse, puras vero notiones, quae abstractae nominantur, aliud esse genus supra illas maxime elatum. [152]) Alio loco nominum collectivorum vim ac naturam accuratissime descripsit; dixit enim, notiones istas multitudinis non definitae proxime ad numerorum notiones accedere, quum per se nihil prorsus significarent, sed semper ad res numeratas referendae essent; [153]) vidit igitur, collectiva medium quasi inter substantiva et numeralia locum tenere. Uti vero in summo loco posuit illas notiones, quae ab uno supremo proxime abessent, sic etiam intellexit, perfectius quodammodo atque amplius nominum notiones numero singulari exprimi, quam plurali; nam, quum rebus multiplicandis notiones earum non vere intendantur et perficiantur, sed ipsae tantum extrinsecus augeantur atque accrescant, plurali numero distrahuntur et diducuntur, quae coniuncta et sub unam notionem redacta in singulari proponuntur; quamobrem etiam nomina abstracta aut pluralem omnino non formant, aut, si formant, vis eorum magis debilitatur quam augetur. Itaque sagacissime Plotinus dixit, materiam infinitam, quia nullis umquam limitibus circumscriberetur, et alia ubique esset, rectius alia (*ἄλλα*) quam aliud (*ἄλλο*) nominari, quia istud multo minus definite

---

[151]) VI, 9, 1. *Τὸ μὲν διεστηκὸς, ὥσπερ χορὸς,ποῤῥωτάτω τοῦ ἕν, τὸ δὲ συνεχὲς ἐγγυτέρω, ψυχὴ δὲ ἔτι μᾶλλον κοινωνοῦσα καὶ αὐτή.*

[152]) Loco modo laudato (VI, 1, 9) ipse indicat, quid de nominibus abstractis sentiat, dicens: *ὑγίεια, ὅταν εἰς ἓν συνταχθῇ τὸ σῶμα, καὶ κάλλος, ὅταν ἡ τοῦ ἑνὸς τὰ μόρια κατάσχῃ φύσις, καὶ ἀρετὴ δὲ ψυχῆς, ὅταν εἰς ἓν καὶ εἰς μίαν ὁμολογίαν ἑνωθῇ.*

[153]) VI, 6, 12. Ob eandem causam collectiva etiam abstractis, quae certas quidem sed a rebus separatas notiones exprimunt, similia sunt et maxime cognata, quamobrem et in omnibus linguis abstracta saepe collectivo sensu usurpantur et in idiomatis Semiticis collectiva, ut abstracta, generi feminino ut debiliori assignata sunt.

dictum esset quam hoc.[154]) Simul vero sensit, notiones, quae non varietatem aliquam rerum continerent, nullas esse, plurali igitur numero necessario locum esse in omnibus rerum sensibilium generibus, quum non solum genera ac species maximam in se haberent individuorum varietatem, sed etiam individua ipsa, adeo singula eius membra similem exhiberent varietatem; hinc, nisi fallor, explicavit, quod membrorum nomina saepe aut sunt pluralia tantum aut in plurali poni consueverunt, quamvis de uno tantum membro agatur.[155]) Etiam quid interesset inter substantivum verbale et infinitivum, bene perspexerat; temporis enim notionem, quae semper adhaereret infinitivis, quorum exemplum affert *μεταβεβληκέναι*, in nominibus verbalibus, ut *μεταβολή*, non inesse dixit;[156]) contradiceret igitur etiam illis, qui infinitivum substantivum verbi dicere solent, et infinitivis puram actionem, substantivis purum statum exprimi doceret. — Adiectiva multa, quia notio eorum mutabilis minusque certa esset, relativa, ut grammatici dicunt, vidit esse,[157]) quod si magis persequutus esset, invenisset, quod nemo grammaticorum vidit, omnia adiectiva in duas discedere classes, absoluta et relativa, quorum illis attributa necessaria, quae ad ipsam rei notionem definiendam pertinent, his mutabilia minusque definita indicantur; quod discrimen etiam diversa comparationis ratione confirmatur; nam, quum illa non forment comparationis gradus, haec sola comparationem adsciscunt. Sed recte Plotinus, uti numerum singularem plurali ampliorem et perfectiorem quodammodo vim habere putabat, sic etiam positivo perfectius aliquid et augustius enuntiari existimavit, quam comparativo et superlativo,[158]) qui gradus non, uti positivus, absolutam, sed comparatione debilitatam habent notionem; quamobrem bene observavit, non modo superlativum et comparativum saepe inter se permutari,[159]) sed etiam eorum adiectivorum, quae vim minus defini-

154) II, 4, 13. — Collectiva quum simillimam habeant plurali notionem, in quibusdam linguis pluralis vice saepissime funguntur, quod et in fracto, quem dicunt, Arabum plurali, (quae derivata potius nomina sunt quam nominum formae) et in terminatione illa linguae Hebraicae, quae plurali feminino attribui solet, cernere poteris; nam haec nihil est nisi collectiva aliqua denominatio.

155) VI, 7, 14. — Huc pertinet notissimus ille usus, quo dicimus cervices, nares, praecordia, ilia, fauces, *φρένες*; apud Graecos poetae potissimum de corporis membris loquentes pluralem ponunt, ut *πρόσωπα, αὐχένες, στήθη, γενειάδες, λαιμοί, ῥινοί*, qua de re cf. Bernhardy linguae gr. synt. p. 64.

156) VI, 1, 16.

157) VI, 3, 11.

158) VI, 3, 11. *καλὸν μὲν καθ' ἑαυτὸ καὶ ποιόν, κάλλιον δὲ τῶν πρός τι.* — *οὐδὲ τὸ μεῖζον ὅλως ἂν εἴη, μὴ μεγάλου ὄντος, ὥσπερ οὐδὲ κάλλιον, μὴ καλοῦ.*

159) Quum saepe *τὰ πρότερα* et *τὰ πρῶτα* promiscue usurpavisset, uno tamen loco utrumque distinguit, VI, 2, 13. et dicens: *ἐνυπάρχει τὰ ὕστερα ἐν τοῖς προτέροις, ὥστε ἐν μὲν τοῖς πρώτοις οὐκ ἂν καταριθμοῖτο*, prima rerum genera vetat cum prioribus confundi, quum priora semper ad posteriora referantur, prima non ad alia relata sed per se consideranda sint. Haec est amplissima quasi superlativi vis, qua non comparationi tantum inservit, sed vim positivi vere auget atque intendit.

tam et absolutam habeant, positivum pro comparativo poni posse. [160]) — In pronominis definitione etiam nunc multi laborant grammatici, quamquam hodie merito explosa est eorum opinio, qui pronomina servorum instar substantivorum, ut dominorum, munere ac vice tantum fungi opinabantur; facile autem invenias, si pronominum vim cognoscere studeas, notiones iis indicari per se prorsus incertas, nudas, materia quasi et argumento vacuas, quum nihil iis definiatur, nisi esse aliquid aut idem vel aliud, aut hoc vel alio loco situm; nam ad has notiones revocanda sunt pronomina omnia et personalia et demonstrativa et correlativa et interrogativa; idem etiam rectior linguarum cognitio et comparatio docuit, quum ubique pronominum formae et simplicissimae inveniantur et antiquissimae earum partes esse videantur, ita ut prima quasi linguae fundamenta et tirocinia habenda sint. Quod non fugerat Plotini sagacitatem, qui vidit, pronominibus, quia notiones eorum maxime essent simplices neque ullam rerum varietatem exprimerent, videri saepe indicari ea, quae absoluta essent, aeterna, supra singularum rerum inconstantiam et varietatem elata. [161]) — Usu recepta est verborum in transitiva atque intransitiva distributio, sed vulgo non animadvertitur, et incertos saepe fines esse, quibus transitiva ab intransitivis distinguantur, et intransitiva non eandem omnia rationem sequi, sed plures eorum classes esse discernendas. Meliora docuit Plotinus; intellexerat enim, omnia verba actionem aliquam et motum indicare, sed aliis motum et actionem durantem, aliis perfectam significari; utrumque vero verborum genus in duas species discedere ostendit, nam actionem durantem aut esse a b s o l u t a m, qua nihil praeter ipsum agentem afficeretur, ut e u n d i, c o g i t a n d i, [162]) aut r e l a t a m, quae ad externam aliquam rem referretur eamque mutare vel omnino affectione aliqua afficere studeret; [163]) iam vidit, passiva vulgo ab his tantum formari, non ab illis, [164]) nihilo minus vero illa his perfectiorem praebere sen-

---

[160]) VI, 3, 12. *πολλοὶ γὰρ ἐν τῇ οἰκίᾳ ἀντὶ τοῦ πλείους, τοῦτο δὲ πρὸς ἄλλο· καὶ ὀλίγοι ἐν τῷ θεάτρῳ ἀντὶ τοῦ ἐλάττους.* Hanc ob causam utilis quidem est comparationis in linguis significatio, sed non prorsus necessaria, ut Semitica idiomata docent, quae ea omnino carent.

[161]) Saepe pronomine demonstrativo sensu emphatico ea, quae ad divinam naturam pertinerent et semper eodem modo se haberent, indicari observavit; cf. VI, 6, 13. *τὸ τοῦτο δὲ οὐ κενὸν, ὑπόστασιν γὰρ δεικνυμένην λέγει ἀντὶ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, καὶ παρουσίαν τινὰ, οὐσίαν ἢ ἄλλο τι τῶν ὄντων, ὥστε τὸ τοῦτο σημαίνοι ἂν οὐ κενόν τι, οὐδ' ἔστι πάθημα τῆς διανοίας ἐπὶ μηδενὶ ὄντι, ἀλλ' ἔστι πρᾶγμα ὑποκείμενον, ὥσπερ εἰ καὶ τὸ ἴδιον αὐτοῦ τινος ὄνομα λέγοι.* Sagacissime hic pronomen cum nomine proprio comparat. VI, 7, 1. *ὁμοῦ δὲ ὂν πᾶν τόδε, τοῦτο δέ ἐστιν ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τὴν αἰτίαν.* Alio vero loco deum esse negat *οὕτως* et *τόδε τι*, (VI, 8, 9.) quod illis non repugnat; nam viderat, pronomina speciem quidem notionis absolutae prae se ferre, vere autem earum notionem maxime esse incertam ac mutabilem.

[162]) VI, 1, 18.

[163]) VI, 1, 19.

[164]) Non negare poterat Plotinus, etiam verba prioris generis et ad rem obiectam saepe referri et passivum

tentiam, quia perfectior esset motus, qui non haberet finem nisi se ipsum, quam qui externam aliquam rem seu efficere seu afficere aliquo modo vellet; agendi autem patiendique notiones vere non esse diversas dixit, sed oppositos tantum eiusdem motus fines, quamobrem neque passivis diversum aliquod verborum genus assignandum esse, quum perpetuo verbis activis relativis adhaererent, neque ipsam puram actionis notionem, quae et infinitivis et nominibus verbalibus indicaretur, discrimen aliquod significationis activae et passivae ostendere.[165]) Alterum vero verborum genus, quo actio perfecta indicaretur, et ipsum duplex esse sensit;[166]) nam viderat, alia huius generis verba energeticam magis (ut cum Graecorum grammaticis loquar) vim servare,[167]) alia, plerumque ab adiectivis derivata, qualitatis notionem proxime tangere et conditionem aliquam vel statum videri indicare; bene vero perspexerat, etiam his verbis (ut *ἐρυθαίνεσθαι, θερμαίνεσθαι, νοσεῖν*) semper aliquam motus significationem subesse, quam ob causam etiam participia numquam eandem, quam adiectiva, vim habere posse intellexit.[168]) — Adverbiorum denique numero eximenda vidit illa, quae, quum ab adiectivis derivata essent, qualitatis aliquam notionem assumsissent, et adiectivis potius accensenda esse;[169]) quod vero adverbia illa temporis et loci, quae

---

posse formare; sed vidit simul, et obiecta eorum ab ipsa actione non esse diversa, et, si passiva inde fiant, his non indicari, rem aliam actione subiecti aliquid pati, sed fieri id, quod verbo exprimatur; loquentes hoc non discernimus, sed cogitantibus est discernendum; sic, si dicitur viam ire, vel paulo audacius aequor navigare, *πεδία πηδᾶν*, hic est motus quasi in se rediens, quem perfectum sive absolutum nominarent antiqui philosophi; non aliter, si rem aliquam sentire vel cogitare dicimur, haec res nobis, dum cogitamus eam vel sentimus, neque externa est, neque cogitatione nostra aliquid patitur sed a cogitatione nostra non est diversa. Inde explices, quod media pleraque a verbis vel motus vel cogitandi ac sentiendi formantur; sunt enim ab origine passiva, sed talia, quae *αὐτοπαθῆ* dicas.

165) Infinitivos et praesentis et aoristorum formae activae saepe etiam vim passivam involvere, quia puram verbi actionem, nondum ad obiectum aliquod relatam, indicant, res est notissima; cf. Matthiae gr. gr. §. 535, III. not. Sic etiam substantiva verbalia, quamvis ab origine in activa et passiva discedant, ut *τμῆσις* et *τομή, λέξις* et *λόγος, δόκησις* et *δόξα*, saepissime inter se permutantur.

166) VI, 3, 19.

167) Proprie quidem tempore perfecto hae notiones enuntiandae erant, sed uti multa verba, ea potissimum, quae statum aliquem ac conditionem enuntiant, iam praesentis temporis forma perfecti notionem indicant, sic alia, quae proprie sunt perfecta, in praesentis vim abeunt, sed ita, ut semper rei peractae notio subsit; quod maxime cadit in verba sentiendi et cognoscendi talia, quae sensum rei quemvis animi affectum non exorientem sed iam exortum atque absolutum exprimunt, uti *οἶδα, μέμνημαι*, memini, novi, odi, will, kann, mag, quae et ipsa ab origine praeterita esse docuit Iac. Grimmius in gramm. teut. I, p. 962. sqq. Similiter in lingua hebraica praeterita horum verborum praesentis vim adsciscere solent.

168) VI, 3, 19. Ut omnino Graecum idioma a Romano eo potissimum differt, quod verborum significationes in illo concretae magis sunt, ita ut ob oculos magis positae et quasi motae videantur, sic etiam participia in lingua graeca multo minus quam in latina pro adiectivis ponuntur.

169) VI, 3, 19.

non certum sed incertum vel tempus vel locum enuntiant, gradus comparationis formant, hoc recte inde explicat, quod notio eorum, ut multorum adiectivorum, incerta et quasi perpetuo ad aliquid relata sit. [170]) — Etiam syntacticas linguae rationes diligentissime eum exploravisse, quamvis minus saepe de iis disputet, haud pauci loci testantur. Sic, quum in rebus, quas sensu percipimus, subiectum a praedicato distinguendum esse cognovisset, ita ut illud ipsam essentiam, hoc attributa accidentia indicaret, simul intellexit, in puris mentis notionibus specie magis quam re a subiecto praedicata discerni, quia quidquid de mente diceretur, ad eius naturam constituendam pertineret. In deo autem hoc discrimen prorsus sublatum esse vidit, neque aliquid in eo nisi solum istud ἔςι cogitari posse, adeo, si omnem diversitatis notionem plano tollere velis, etiam hoc praedicatum, quamvis vacuum fere argumento, negandum esse; vidit igitur, verbum εἶναι esse omnium reliquorum fundamentum, absolutum et vere, ut grammatici dicunt, substantivum. [171]) — Notissimi quoque illius dicendi generis, quod saepe praedicatum in neutro apponitur substantivo masculini vel feminini generis, (οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, vel, quod ipse affert exemplum, λευκὸν ὁ Σωκράτης) causam recte perspexit, et vidit, non idem esse, utrum dicas λευκὸν ὁ Σωκράτης, an λεύκος ὁ Σωκράτης· hoc enim indicare, albi notionem ut accidens aliquod Socrati attribui, illud, universa albi notione, qua res omnes albae continerentur, etiam Socratem comprehendi. [172]) — Cum aliorum casuum tum genitivi rationem melius iis intellexit, qui nuper, ad ipsas cogitationis leges minus attendentes, omnes casuum vel diversissimas significationes ad vim aliquam localem referre et quasi detorquere conati sunt; nam genitivum ponendum esse censuit, ubicunque res aliqua non sola cogitaretur, sed ad aliam, quacum nexu quodam iuncta esset, referretur, neque quidquam eo nisi ipsam hanc relationem indicari. [173]) Qui vestigiis Plotini insistet, is eodem loco etiam inveniet, quid ille de reliquis casibus obliquis sensisse videatur; nam, quod iam supra dixerat, hic iterat, motus aut esse absolutos aut tales, qui in agendo et patiendo conspiciantur et rem aliquam sibi obiectam habeant; [174]) iam diceret, illarum absolutarum actionum finem dativo, harum accusativo enuntiari; quod vero accusativo saepe insuper dativus in verbis, quae obiectum aliquod habent, additur, in his doceret finem proximum a consilio esse discernendum, et quod haud raro ac-

---

[170]) VI, 3, 12.

[171]) VI, 7, 38.

[172]) VI, 3, 6.

[173]) VI, 3, 27. Unus Bernhardy, vir clarissimus, hanc summam genitivi notionem esse vidit, ut nexum et relationem, quam causalem dicunt, indicet; synt. l. gr. p. 136.

[174]) VI, 3, 27. cf. quem supra laudavimus locum, VI, 1, 18. 19.

cusativus sequitur verba illa, quae absoluta dixerat, hoc inde explicaret, quod loquentes interdum consilium actionis pro re ipsa ei obiecta habemus. — Accuratissimus quoque est in temporum formis discernendis, et, quum perpetuo aeternis mentis divinae actionibus opponeret, quae in tempore fierent, praesenti quidem tempore res aeternas optime vidit exprimi, perfecti vero et aoristi hoc esse discrimen, ut in illo motus notio fere evanescat et status maxime, qui motum secutus est, notio extollatur, hoc vero motus aliquis tempore aliquo et factus et peractus indicetur; quam ob rem perfecto melius quam aoristo ea, quae ab aeternitate fierent, indicari putabat, et ampliorem atque angustiorem esse perfecti vim, quam aoristi, cui temporis finiti notio maxime adhaeret;[175]) nec non imperfecto de rebus aeternis maluit uti, quam aoristo, quia illud quoque motum quidem, sed perpetuum durantemque ei significare videbatur.[176]) Quod vero uno loco in mentis aliqua actione definienda praesenti aoristum praetulit, omnino praeteriti magis quam ipsius aoristi notionem videtur indicare voluisse, quum, quae aeterna sint, non nunc tantum fieri sed perpetuo facta dicantur.[177]) — Denique etiam in verbis significatione cognatis, quae synonyma vocantur, recte distinguendis sagacissimus fuit, ut decet philosophum, cuius est, non vocabulis pro arbitrio uti eorumque vim contra omnem et usum et rationem immutare, sed reconditam in iis et ab origine insitam vim et recte observare et excolere atque explicare. De multis, quae ad hoc genus pertinent, pauca deligemus. Quum vidisset, unum illud supremum, quod de deo praedicatur, non unum ex multis esse posse, sed supra omnem numerum ac multitudinem elatum esse, hanc primam et veram unitatem *ἑνάδα* vocavit, illam, numerorum principium, *μονάδα*, quam mancam aliquam illius imaginem putabat;[178]) senserat enim, *εἷς* et *μόνος* ita differre, ut hoc semper ratione aliorum habita dicatur, (ut s o l u s) illius notio absoluta magis esse videatur. Sic t o t i u s quoque notionem duplicem esse intellexit; nam, quidquid totum nominatur, aut partes suas ita continet, ut vere neque inter se neque a toto diversae sint, ut notio aliqua superior notiones inferiores comprehendit, aut partibus compositum et conflatum esse

---

[175]) De mente aeterna dicit: *ἕκαστον ἔχει διακεκριμένον, καὶ αὖ οὐ διακριθὲν χωρίς*, VI, 4, 14. quo loco subtilissime temporum discrimen vides esse observatum; contra VI, 4, 6, de sensu dicit: *οὐδ' αὐτὴ ἡ κρίνασα (αἴσθησις) κέκρικα λέγει, ἀλλ' ἔκρινε μόνον.*

[176]) II, 9, 3. de mundo dicit: *οὐ τοίνυν ἐγένετο, ἀλλ' ἐγίνετο, καὶ γενήσεται, ὅσα γενητὰ λέγεται.* Similiter de mente divina: *ἣν ἐκομίζετο δύναμιν ἀδυνατῶν ἔχειν συνέθραυε, καὶ πολλὰ ἐποίησε τὴν μίαν*, VI, 7, 15. ubi sagacissime imperfectum aoristo opponitur. Utebatur igitur imperfecto, ut tempus perpetuum, quod aeternitatem quasi imitari videretur, indicaret.

[177]) De mente se in deo cognoscente dicit: *ἀπὸ τῶν πρώτων αὐτοῦ ἐπεξιών, μᾶλλον δὲ ἀεὶ ἐπεξελθών, ὥστε μηδέποτε τὸ ἐπεξιέναι ἀληθὲς εἶναι*, VI, 2, 21.

[178]) V, 5, 4. VI, 6, 6. 13. et saepius in hoc libro.

videtur, ut artificia hominum et omnia inanima corpora; illud, usu loquendi recte cognito, ὅλον, hoc πᾶν nominavit. [179]) Neque minus accurate πᾶς ab ἅπας distinguit. [180]) Etiam duplicem statum discernendum esse cognovit, et statum aeternum mentis, quae, quamvis cogitatione quodammodo moveatur, tamen in se suaque natura perstat, στάσιν nominavit, et ἡσυχίαν ei opposuit, statum illum, qui motum sequitur; [181]) vere enim id tantum quiescit, quod, quia aliunde movetur, non semper agit; quod perpetuo agit, ut mens, id non quiescit, sed constat. Tum duplex diversitatis genus distinxit, et res externas, quae nihil inter se commune habere videntur, ἄλλα, ea vero, quae, quamvis diversa, nexa inter se et iuncta sunt, ut diversae mentis vires atque actiones, ἕτερα dixit, [182]) quod discrimen egregie linguae usu et ratione comprobatur. [183]) Εἶδος quoque et ἰδέα semper ita distinguit, ut haec illo maior sit et superior; nam idea est formarum illarum et notionum, quae εἴδη vocantur, summa quaedam et complexus. [184]) Paulo aliter, quam vulgo, illud verborum par, quo velle indicatur, discernendum esse putavit; nam βούλεσθαι voluntatem vere liberam, quae rationis praecepta sequitur, θέλειν arbitrium quidvis agendi, quod, quum liberum sibi esse videatur, vere non est, nisi ratione illustretur, esse voluit; sed etiam hic insitam illis verbis vim bene observaverat; [185]) neque minus recte λαμβάνειν (accipere) et αἱρεῖν (sumere) ita sibi opposuit, ut

---

179) V, 3, 5. Si mentem aliquis in diversas partes dividere velit, eum numquam se totum cognoscere posse dicit ita: οὐ πάντα, οὐδὲ ὅλον γνώσεται ἑαυτόν. Cf. IV, 7, 5. ὅπου τὸ μέρος τὸ αὐτό ἐστι τῷ ὅλῳ, τοῦτο ἐν τῇ αὐτοῦ οὐσίᾳ τὸ ποσὸν εἶναι ὑπερβέβηκεν. Sic nos distinguimus Allheit et Ganzheit, Latini universus et totus; rectius igitur Doederlinus, vir clarissimus, universi quam totius notionem vocabulo ὅλος significari dixisset. (Synonyma latina, IV, p. 359.)

180) Mens cogitans et ad aeterna adscendens εἰς ἅπαν τὸ πᾶν ἥξει προελθὼν οὐδαμοῦ, ἀλλ' αὐτοῦ μείνας, οὗ ἵδρυται τὸ πᾶν, VI, 5, 7. In hac oppositione πᾶς totum ut partibus compositum, ἅπας ut una notione comprehensum indicat, quod est omnino horum vocabulorum discrimen.

181) VI, 3, 2. In mente igitur στάσιν, non ἡσυχίαν esse docuit. Ceterum iam Heraclitus in perpetuo motu στάσιν quodammodo invenerat.

182) VI, 6, 13. Ἔπειτα τὸ ἄλλο καὶ τὸ ἕτερον ἕτερον. Similiter luculentissime discernit διαφορά et ἑτερότης, dicens: δεῖ δὲ τοῖς νοηθεῖσιν ἑτέροις πρὸς ἄλληλα εἶναι, ταὐτὸν δὲ, ἐπεὶ ἓν ἑαυτῷ, καὶ κοινὸν δέ τι ἐν πᾶσι, καὶ ἡ διαφορὰ ἑτερότης, V, 1, 4. Hanc ob causam in mente ἑτερότητα, non διαφοράν statuit esse.

183) Semper omnino ἕτερος ab ἄλλος ita differt, ut illud, quod comparativi et vim et formam habet, non aliud quidvis significet, sed tale, quod, quamvis diversum sit ab eo, cui opponitur, simul ei natura sua cognatum sit et ad idem rerum genus pertineat, hoc vero nihil indicet nisi esse aliquid aliud; quod si ad Diogenis Apolloniatae doctrinam adhibeamus, qui ex summa illa cogitatione, quam rerum omnium principium esse voluit, omnia dixit ἑτεροιοῦσθαι, videbimus, eum multo rectius de natura rerum disputasse, quam qui omnia ex uno elemento vel ex pluribus ἀλλοιώσει fieri docuerant.

184) VI, 9, 2.

185) VI, 8, 13; quo loco αἵρεσιν et θέλησιν idem fere vult esse. Quamvis Buttmannus (in lexilogo I, 27. sqq) paulo aliter discrimen horum verborum definiat, semper tamen, ubi certius ea a scriptoribus distingui videmus, observabimus, ἐθέλειν magis de animi quodam motu atque impetu dici, βούλεσθαι de voluntate, quae et causas habet ac rationes et certum aliquod consilium sequitur: iam Homerico usu hoc comprobatur, quo, quod ipse Buttmannus invenit, βούλεσθαι de diis tantum dicitur.

illud actionem mentis rerum imagines recipientis, hoc liberiorem illum actum, quo rerum notiones percipit, significaret. [186]) Nec promiscue usurpavit duo illa adverbiorum localium genera, quae locum ipsum ubi est aliquid, (uti *οὗ*) et quae viam in qua aliquid movetur, (uti *ᾗ*) indicant; nam vires ex mente divina in rerum universitatem prodeuntes maluit dicere *πανταχῇ* esse quam *πανταχοῦ*, quia non in certo aliquo loco consistunt, sed omnia semper vivo motu permeant; [187]) quod discrimen ad omne istud adverbiorum genus adhibendum est. — Praepositiones *μετὰ* et *σὺν* recte ita distinet, ut illa externam magis aliquam, quam haec, rerum societatem et communionem indicet; [188]) sic etiam *ἐπὶ* et *ἐν* vidit ita esse diversa, ut hoc de iis dicatur, quae ad ipsam rei alicuius naturam pertineant, illud de iis, quae extrinsecus iis accedant et quasi in earum superficie conspiciantur. [189]) Neque idem esse intellexit *κατὰ* et *περὶ*, si verbis dicendi apponantur; nam postquam docuit, nihil omnino de deo ita, uti de aliis rebus, praedicari posse, addit: *οὐδὲν ἂν εὕροιμεν εἰπεῖν οὐχ ὅτι κατ' αὐτοῦ, ἀλλ' οὐδὲ περὶ αὐτοῦ κυρίως·* [190]) indicat igitur, *κατά τινος λέγειν* esse dicere de re tali, cuius certam notionem habeamus, quae ad certum aliquod rerum genus referri possit, (quamobrem etiam dicitur *κατηγορεῖν κατά τινος*) sed *περί τινος λέγειν* dicere omnino de re aliqua, quod facere possumus etiam si certius de ea nec volumus nec possumus iudicare. — Sed tandem nobis hic campus relinquendus est, et, quum multa possimus exponere de dictione Plotini praecisa, subtili, sublimi, in qua perpetuo sententiarum eius gravitas et maiestas nobis apparet et exprimitur, iam ad angustiorem nos gyrum revocant arcti fines, qui opusculis hisce publicis edendis positi sunt.

---

# Caput IV.

## Emendationum Plotinianarum ecloge.

Quum identidem Plotini enneades, Creuzeri diligentia et acumine iam satis sordibus purgatas, perlustraremus, multos invenimus locos, quibus aut transponendis verbis aut

---

186) V, 6, 2. *ὁ νοῦς τὸ ἐπιβάλλον τῇ νοήσει κενὸν ἔχει, ἄνευ τοῦ λαβεῖν καὶ ἑλεῖν τὸ νοητόν, ὃ νοεῖ.*

187) VI, 4, 9. *καὶ εἰ μὴ πανταχοῦ, ἀλλ' οὖν πανταχῇ ἅμα τὴν αὐτὴν ὅλην οὐ μεμερισμένην (δύναμιν εἶναι ἀναγκαῖον).*

188) V, 6, 3.

189) VI, 2, 3. *κίνησις οὐκ ἐπὶ τῷ ὄντι, ἀλλὰ μετὰ τοῦ ὄντος, εὑρεθεῖσα ἐν αὐτῷ.*

190) VI, 8, 8.

inserendis aut tollendis aut emendandis aut denique interpunctione mutanda medendum esset; quorum hic eos tantum afferemus, qui emendati aut aliquid ad doctrinam Plotini rectius cognoscendam conferre videantur, aut gravem aliquam sententiam sive eleganter sive graviter enuntiatam nobis exhibeant. — Ultimum quasi finem, ad quem mens de rebus corporeis cogitans pervenire posset, materiam posuit Plotinus, quam ita omnibus formis et praedicatis exuit, ut esset inanis quaedam notio et vana species, quamobrem etiam spuriam notionem [191]) vocavit; sed iam supra monitum est, eum noluisse duo aeterna principia statuere, quorum ex uno bona, ex altero mala omnia exorta essent; nam materiam nihil omnino docuit esse et ubique formis repletam. Luculentissime vero hoc, postquam de malorum necessitate disseruit, in loco aliquo dicit, quem ita edidit Creuzerus: (III, 2, 15. p. 478, l. 11. Cr.) *καὶ οὐχ ἡ ὕλη παρελθοῦσα κρατεῖ, ἀλλὰ παρήχθη, ἵνα οὕτω· μᾶλλον δὲ ἦν καὶ αὐτὴ [αἰτία] λόγου οὕτως.* At quis non videat, materiam, omnis formae expertem, non posse dici *αἰτίαν λόγου*? et quis ferat particulam *οὕτως* molestissime iteratam? Neque illud Creuzerum fugit, qui vocabulum *αἰτία,* quod a codice Cizensi abest, uncinis inclusit; sed reliqui codices omnes hanc vocem agnoscunt, neque locus ea omissa sanatur. Legendum est: *καὶ αὐτῇ αἰτία λόγος ὡσαύτως·* facillime enim hoc in *λόγου οὕτως* depravari poterat. Ratio igitur etiam materiae auctor vocatur, et apertum est, tantum abfuisse Plotinum, ut absolutum aliquod malum comminisceretur, ut etiam materiam a ratione divina procreatam et formatam docuerit, et egregie cum hac sententia concinnunt sequentia verba: *ἀρχὴ οὖν λόγος καὶ πάντα λόγος.* — Alio loco, ubi etiam mala necessaria esse ostendit, (I, 8, 8. p. 148, 4.) addit: *ἔςι δὲ τοῦ κακοῦ λαβεῖν καὶ οὕτω τὴν ἀνάγκην· ἐπεὶ γὰρ οὐ μόνον τὸ ἀγαθὸν, ἀνάγκη τῇ ἐκβάσει τῇ παρ' αὐτὸ ὑποςάσει.* Ultimum vocabulum, quod unus tantum ex codicibus a Creuzero collatis Mon. C. habet, ab ipso suspectum habitum et uncinis inclusum est; sed saepe in codicibus praepositiones se excipientes aut simplices aut verbis praepositae locum suum permutaverunt; nonne igitur legendum est: *τῇ ὑποβάσει τῇ παρ' αὐτοῦ καὶ ἐκςάσει*? *ὑπόβασις* quid sit apud Platonicos, (status deminutus) Creuzerus in adnotatione ad hunc locum docuit; *ἔκςασις* vero, i. e. status perpetuo a se discedens, materiae attribuitur et statui aeterno (*ςάσει*) mentis opponitur VI, 3, 2. [192]) Probatur emendatio nostra iis, quae proxime sequuntur: *τῇ ἀεὶ ὑποβάσει καὶ ἀποςάσει τὸ ἔσχατον — τοῦτο εἶναι τὸ κακόν.* — Vix vero ferendum est, quod I, 8, 9. (151, 8.) de materia legimus: *τὸ παράπαν εἶδος ἀφαιροῦντες, πᾶν εἶδος ᾧ μὴ ταῦτα πάρεςι, λέγομεν εἶναι ὕλην.* Ergo iisdem verbis, quibus omni forma carere dicit materiam, ipsam

[191]) II, 4, 12. *διὸ καὶ νόθος. (ὁ περὶ ὕλης λογισμός.)*

[192]) VI, 3, 2. Quod ibi *ὕλης οὐκ ἔκςασις κατὰ τὴν ςάσιν* fieri dicitur, his verbis significatur status materiae iam forma correptae, ita ut statum aeternum mentis quodammodo imitari incipiat.

formam esse dixerit? Minime vero, sed scribe ita: *ᾧ μὴ εἶδος πάρεςι, ταῦτα εἶναι ὕλην.* — Corpora terrestria, fluxa, caduca, mutabilia saepe opponit corporibus coelestibus subtilioribus, purioribus, numquam interituris, quae eundem perpetuo motum servent; sed difficillima sunt verba, quibus eadem sententia inest, haec: (II, 1, 8. p. 192, 13. 14.) *οὐ τοίνυν οὐδὲ τροφῆς δεῖσθαι φατέον τὰ ἐκεῖ, — οὔτε αἰτίας οὔσης ἐκεῖ, δι' ἣν τὰ τῇδε τρέφεται συγκρίματα ἀεὶ ῥέοντα· τήν τε μεταβολὴν τῶν τῇδε σωμάτων ἀφ' ἑαυτῶν μεταβάλλειν.* Creuzerus haec ita explicat: et dicendum est, permutationem corporum, quae hic sunt, ab ipsis (ex ipsorum natura) fieri; at dici non potuit *μεταβάλλει ἡ μεταβολή* pro *γίγνεται ἡ μ.*, notissimum vero schema est *μεταβάλλειν* (sensu intransitivo) *μεταβολήν*, ut *μάχην μάχεσθαι*, et talia; legendum igitur videtur: (*τὰ συγκρίματα*) *τήν τε μεταβολὴν τῶν τῇδε σωμάτων ἀπ' αὐτῶν* (*τῶν σωμάτων*) *μεταβάλλει.* Vestigia lectionis *αὐτῶν* latent in lectione plurimorum codicum *αὑτῶν* pro *ἑαυτῶν.* Iam ita procedit sententia: et composita (de vocabulo *συγκρίματα* cf. adnot. Creuzeri ad hunc locum) in hoc mundo mutatione corporum huius mundi mutantur, quam ab ipsis accipiunt. — Gnosticos cum propter alias res multas tum propter hoc carpit et castigat, quod perpetuo se et corpus suum et totum hunc mundum odisse et fugere iactent, quum philosophorum sit, rebus mundanis recte uti, et diis, qui corpus animi instrumentum esse voluerint et artificiose composuerint, pio animo grates agere. Hac in re suavissima utitur comparatione; dicit enim, (II, 9, 18, p. 395, 14.) se suosque ita differre a gnosticis, ut si duo homines eandem pulcram domum habitent, quorum alter perpetuo domus apparatum atque auctorem reprehendat, sed nihilo minus in ea maneat, alter numquam eam vituperet, sed laudet illum, qui eam maxima cum arte exstruxerit; frustra igitur gnosticos se sapientiores aliis putare, quod perpetuo dicant, domum hancce lapidibus tantum lignisque constare, et multum a vero aeternoque domicilio differre; tum addit: *ἀγνοῶν, ὅτι τῷ μὴ φέρειν τὰ ἀναγκαῖα διαφέρει, εἴπερ καὶ μὴ ποιεῖται δυσχεραίνειν, ἀγαπῶν ἡσυχῇ τὸ κάλλος τῶν λίθων.* Haec verba Creuzerus ita interpretatur: nesciens, se eo (solo) differre, (ab altero) quod (ipse) non ferat (patienter) necessaria, siquidem nec dicit, (prae se fert; *ποιεῖσθαι* enim pro *περιποιεῖσθαι* hic dictum esse censet, cf. Viger. de idiot. p. 288, not. 10. ed. Herm.) se moleste ferre, (discessum ex illo aedificio) qui moderate delectatur pulcritudine lapidum. Sed tunc *ὁ ἀγαπῶν* dicendum erat, neque *ποιεῖσθαι* esse potest: verbis prae se ferre, sed semper animi aliquam existimationem significat; potissimum vero obstat, quod sic alterius enuntiati subiectum aliud esset ac prioris, quamvis nullo verbo scriptor indicaverit, se ad aliud subiectum transire velle; ipse Creuzerus aut *πονεῖται* legendum et *δυσχεραίνειν* ut glossema expellendum, aut *εἴπερ καὶ μὴ δυσχεραίνων πορεύεται ὁ ἀγαπῶν*

*κ. τ. λ.* scribendum esse coniicit; sed neque ita vitium sermonis tollitur. Rectius, nisi fallor, emendaveris ita: *ἀγνοῶν, ὅτι τοῦ μὴ φέρειν διαφέρει τὸ φέρειν τὰ ἀναγκαῖα καὶ μὴ δυσχεραίνειν, εἴπερ καὶ πονεῖται, ἀγαπῶν κ. τ. λ.* Notissima est oratoria illa dictio, qua negatione contrarii affirmationi apposita res gravius affirmatur; *πονεῖσθαι* vero iam praeivit Homerus Il. IV, 374. X, 70. — Vere sublimis est illa vitae humanae cum fabula scenica comparatio, quam rite omnes admirarentur, si in libro scriptoris alicuius ex eorum numero, quos plerique lectitare solent, legissent, III, 2, 17. (p. 486, 14.) Ibi vitas et actiones hominum cum actione fabulae, deum mundi conditorem fatorumque dispensatorem cum poeta, qui pro arbitrio suo partes histrionibus distribuit, ipsos homines cum histrionibus comparat. Sed minus intelliguntur verba: *τιμὰς καὶ ἀτιμίας ὁρίζουσι, καὶ τῷ συνεπιλαμβάνειν καὶ αὐτοὺς τιμαῖς καὶ ἀτιμίαις, ἁρμόζοντος ἑκάςου τόπου τοῖς ἤθεσιν, ὡς συμφωνεῖν τῷ τοῦ παντὸς λόγῳ.* Qui sunt illi, qui honores atque ignominias definiunt? et quid est *συνεπιλαμβάνειν τινὰ τιμαῖς καὶ ἀτιμίαις*? Ex Ficini versione nihil proficimus. Omnia vero recte procedunt, si ita legas: *καὶ τιμὰς καὶ ἀτιμίας ὁρίζουσι,* (*οἱ θεοί,* quod ex nexu facile intelligitur; continuatur enim incepta comparatio ita, ut dii cum iudicibus certaminum sive *βραβευταῖς* conferantur) *τῷ συμπεριλαμβάνειν καὶ αὐτοὺς τοὺς τόπους ταῖς τιμαῖς καὶ ἀτιμίαις,* ut haec sit sententia: etiam honores atque ignominias dii definiunt, dum etiam ipsa loca honoribus ignominiisque comprehendunt; facile enim verba *τοὺς τόπους,* ad quae sequentia respiciunt, absorberi poterant praegressis *καὶ αὐτούς.* Scilicet Plotinus, Platonem secutus, unumquemque post mortem in talem locum mitti putabat, qui vitae eius in hoc mundo peractae accommodatus esset, id quod etiam sequentia verba indicant. — Vidimus supra, Plotinum temporis originem ad ortum animae referre, quae, quum perpetuo ex mente prodeat ad singulas res efficiendas, perpetuo etiam temporis auctor sit; iam et tempus aeternitatis imaginem esse et animae vim in tempore operantem mentis aeternum motum dicit imitari VI, 5, 11. (p. 1227, 5.) Sunt verba: *ταύτης (τῆς ἀντιπαραθεούσης φύσεως,* i. e. *τῆς κινήσεως τῆς ψυχῆς) τὰ ἴσα πως τῷ χρόνῳ θεούσης, προσμένουσαν δύναμιν, πλείω οὖσα τῷ ποιεῖν ἐκείνη ἐςὶν, ὅσον παρετάθη.* Quis tandem haec intelligat? Rectiorem viam monstrant codices sex, qui pro *οὖσα* habent *οὖσαν*; totus locus ita legendus est: *ταύτης — θεούσης πρὸς μένουσαν δύναμιν, πλείω οὖσαν τῷ ποιεῖν· ἐκείνη δ' ἐςὶν, ὅσον παρετάθη,* i. e. dum hic (animae motus) sequitur manentem (mentis) vim, quae, quia est efficiens, maior est, ille vero (iam enim ad animae motum redit) tantus est, quantum in tempore extenditur, vel: temporis leges non potest transscendere. Quod *ἐκείνη* in altero membro de eadem re dicitur, quae antea pronomine

*ταύτης* indicata erat, molestum quidem est, at ferri hic potuit, quia iam novae rei (*ἡ μένουσα δύναμις*) mentio iniecta fuit, qua relicta ad rem prius dictam oratio redit. — Ex universi anima singulas animas perpetuo et descendere et ad eam redire dicit III, 9, 2. (p. 657, 16.) et pergit: *τὸ δὲ ἐφεξῆς τὸ πᾶν· οἷον τὸ πλησίον, ἢ τὸ ὑφ' ἡλίῳ.* Abrupta haec sunt verba et difficillima intellectu, quae si ita legeris: *τὸ δὲ ἐφεξῆς ζῇ* (quod verbum praegressa syllaba facillime obliterari potuisse clarum est) *τὸ πᾶν τῷ πλησίον* (sc. anima, quae semper omnibus rebus adest), *οἷον ἡλίῳ τὸ ὑφ' ἡλίῳ,* egregiam in iis invenies comparationem; nam animam universi cum sole comparat, unde omnia lucem ac vim vitalem accipiant, singulas animas cum aëre, per se quidem obscuro, sed solis luce perpetuo illustrato. — Quam recte vulgatam de daemone singulis hominibus a diis attributo opinionem explicaverit, vidimus supra; est de hac re egregius locus III, 5, 7. (p. 540, 5.) Postquam dixit, bonos homines id solum amare, quod vere et ab omni parte bonum sit, neque eorum amorem circa res singulas versari, haec addit: *τοὺς δὲ κατ' ἄλλους δαίμονας τεταγμένους κατ' ἄλλον δὲ ἄλλον δαίμονα τετάχθαι, ὃν ἁπλῶς εἶχον ἀργὸν ἀφέντας.* Sed intolerabilis est tautologia *τεταγμένους τετάχθαι,* et inepte iterata particula *δέ;* expellendum igitur *τετάχθαι,* quod ex glossemate enatum est, et pro *ἄλλον δὲ ἄλλον* scribendum *ἄλλον δι' ἄλλον δαίμονα,* i. e. secundum unum post alium daemonem dispositi, de quo praepositionis *διά* usu cf. Matth. gr. gr. §. 580, b. Eo facilius vero haec particula ita poni potuit, quia *δαίμων* simul involvit ipsius sortis vitae ac temporis ei assignati notionem. Verbum autem, quod participio *τεταγμένους* apponendum fuit, per zeugma aliquod eliciendum est ex praecedentibus: *τοὺς ἐνταῦθα ἀγαθοὺς — ἔρωτα τοῦ ἁπλῶς ἀγαθοῦ καὶ τοῦ ὄντως ἔχειν,* unde facile sententiam ita suppleas: eos vero, qui secundum alios daemones dispositi sunt, (alium sequi amorem) secundum sortem, quam saepius mutant, ita ut simplicem illum ac sincerum amorem perdant. Locus hic turbatus fuit et impeditus cumulatis vocabuli *ἄλλος* formis, non minus quam duo Sophoclei loci, quos hic emendatos apposui. Vexata maxime sunt verba in parodo Antigonae v. 139.

*εἶχε δ' ἄλλα μὲν ἄλλᾳ, τὰ δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα — Ἄρης,* quae tautologia molestissima liberari posse desperavi, nisi ita scribatur: *εἶχε δ' ἄλλᾳ τάδ' οὖν·* (quae ad Capaneum pertinent) *ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις κ. τ. λ.* Tum particula *ἄλλᾳ* aut est: alio modo, ita ut opponatur *ἄλλα* in sequenti membro, aut, quod praeferendum videtur: secus, ut sit sententia: haec igitur secus, praeter exspectationem acciderunt. Tum etiam maxime et metro corrupto et legibus grammaticae violatis laborant verba illa *πολυθρύλλητα* Phil. v. 701., quae ita vulgo leguntur:

ἕρπει γὰρ ἄλλοτ' ἄλλᾳ τότ' ἂν ειλυόμενος. Ut paucis enuntiem, quid de hoc loco sentiam, ita puto emendandum:

εἷρπεν γὰρ ἄλλοσ' ἄλλοτ' ἂν ἑλκόμενος, vel, si malis, ἰλλόμενος, ut simul et soloecismus ἕρπει ἂν exterminetur, et ineptum istud τότ' ἂν pellatur, et metrum restituatur legitimum; est enim iambelegus, cui in stropha respondent verba, quae et ipsa ita arbitror transponenda esse: (v. 685 — 86.)

ἀνάξι' ὤλλυθ' ὡς· τὸ δὲ θαῦμά μ' ἔχει. — Saepe notiones, quas mens ex se concipit, Plotinus cum sensuum perceptionibus ita componit, ut illas quoque sensui quodammodo attribuat, sed sensui puriori mentis, corporis vinculis non impedito; ita est intelligendus locus VI, 7, 7. (p. 1281, 5.) καὶ τήνδε τὴν αἴσθησιν ἀμυδροτέραν οὖσαν τῆς ἐκεῖ ἀντιλήψεως, ἣν ὠνομάζομεν αἴσθησιν, ὅτι σωμάτων ἦν, ἐναργεςέραν εἶναι. (ἡμῖν ἐφαίνετο.) Sed ineptissime in eodem enuntiato dicuntur sensuum perceptiones mentis notionibus et clariores esse et debiliores, quod vitium transponendis vocabulis mihi videor sustulisse ita: καὶ τήνδε τὴν αἴσθησιν, ὅτι σωμάτων ἦν, ἀμυδροτέραν οὖσαν τῆς ἐκεῖ ἀντιλήψεως, ἐκείνην δὲ ἣν ὠνομάζομεν αἴσθησιν, (mentis perceptionem) ἐναργεςέραν εἶναι. Quod ex ἐφαίνετο in priori membro participium, in altero infinitivus pendet, neminem offendet, quem non fugit, quam saepe scriptores constructiones verborum in eodem enuntiato variare soleant. — Pulcrum ut boni imaginem et ex mente enatum esse dicit, sic singulas res pulcras mentis divinae partem aliquam habere affirmat; egregia, quibus hoc enuntiatur, sunt verba I, 6, 2. (p. 102, 3.): οὕτω μὲν δὴ τὸ καλὸν σῶμα γίγνεται λόγου ἀπὸ θείου ἐλθόντος κοινωνίᾳ· θείου pro vulgata lectione θείων ex quatuor codd. restituit Creuzerus, secutus Wyttenbachium, qui ita vertit: pulcrum corpus fit communione rationis a divino numine venientis; at tunc τοῦ θείου dicendum erat; facili opera corrigi possunt verba ita: λόγου θείου ἐπ' αὐτῷ ἐλθόντος. — Amorem quum virtutis initium esse secundum Platonem putaret, multus est in fabulis de Venere atque Amore sagaciter interpretandis; potissimum supra vidimus eum in explicanda fabula de Amoris ex luxu (πόρος) et inopia (πενία) partu versari; sed quis intelligat verba III, 5, 1. (p. 530, 18.) καὶ δὴ καὶ ὅσα ἐν Συμποσίῳ εἴρηται παραληπτέον, ἐν οἷς οὐκ Ἀφροδίτης γενεθλίοις, ἐκ τῆς Πενίας καὶ τοῦ Πόρου. Creuzerus suspicatur: ἐν οἷς οὐκ οἶδ' Ἀφροδίτης, γεν. — γεγονέναι; sed Veneris natalitia certissima erant et notissima; si quid video, Plotinus scripsit: ἐν οἷς οὐκ Ἀφροδίτης, ἀλλ' ἐν Ἀφροδίτης γενεθλίοις, ἐκ τῆς Πενίας τε καὶ Πόρου, sc. γεγονέναι λέγεται ὁ Ἔρως, quod ex sequentibus etiam huc trahendum est. Sententia est haec: ubi non Veneris ipsius filius (ut vulgo) sed in Veneris natalitiis ex luxu et inopia genitus fuisse dicitur Amor. — Omnem mutationem ex motu aliquo oriri secundum Platonem saepe osten-

dit, quamobrem etiam concretionem (σύγκρισις) et discretionem (διάκρισις) motus dicit; intellexerat vero, res inter se miscendas non solum, quae Democriti fuerat opinio, ex diversis locis in idem spatium concurrere et concrescere, sed etiam internas earum vires permisceri et coalescere; fieri igitur temperationem aliquam (σύγκρασις) et mixturam, (μίξις) quae a motu in loco facto incipiat quidem, sed perficiatur demum vera ipsarum rerum mutatione. Huc pertinet locus VI, 3, 25. (p. 1172, 13.) ἄρξει μὲν γὰρ ἡ τοπικὴ κίνησις, ἕτερον δὲ ἐπ' αὐτῇ τὸ γιγνόμενον ἂν εἴη, ὥσπερ καὶ τῆς αὔξης ἄν τις εὕροι ἄρχουσαν μὲν τὴν τοπικήν, ἐπιγιγνομένην δὲ τὴν κατὰ τόπον κίνησιν, quod falsum esse statim patet; ex cod. Ciz. κατὰ τὸ ποσόν recepit Creuzerus; at quomodo tandem in crescendo τοπικὴ κίνησις et κίνησις κατὰ τὸ ποσόν discerni potest? nonne est idem uterque motus? Iam Ficinus, qui vertit: sed ibi motum mox proprium qualitatis accedere, legendum vidit κατὰ τὸ ποιόν, quod lectione, quae margini cod. Med. A. ab aliena manu adscripta est, κατὰ ποιόν egregie confirmatur. In quavis igitur mixtura et in incrementis, quae aliquid capiat, res non solum secundum quantitatem moveri docet, sed etiam secundum qualitatem mutari. Uti hic in codice Mediceo, sic II, 9, 9. (p. 374, 14.) verae lectionis vestigia in margine editionis vulgatae et in codice Darmstadino cernuntur; nam ut ostendat, mentem ipsam peccato non tangi, sed animam tantum eo affici et infici, dicit: εἰ δὲ φονεύει τις ἢ ἐλαττοῦται τῶν ἡδονῶν ὑπὸ ἀδυναμίας, τί θαυμαστὸν καὶ ἁμαρτίας εἶναι, οὐ νῷ ἀλλὰ ψυχαῖς; sed pro ἐλαττοῦται codd. Med. A. B. Par. A. Marc. B. C. habent ἡττᾶται, et cod. Darmst. cum margine ed. Basil. ἡτταττοῦται, quod monstrum quis non videat conflatum esse ex verbis Plotini his; ἢ ἡττᾶται ἢ ἐλαττοῦται? inest enim tribus verbis φονεύει, ἡττᾶται, ἐλαττοῦται τῶν ἡδονῶν, gradatio aliqua inversa, quam anticlimacem nominant grammatici. Neque I, 4, 8, (p. 68, 16.) ubique quaerit, quid hominibus faciendum sit, si doloris vehementia eorum vires superet, in verbis: ἀλλὰ εἰ μὴ παρακολουθοῖ, ἢ παρατείνοι τὸ ἀλγεῖν ἐπὶ τοσοῦτον αἰρόμενον, ὥστε ἐν τῷ σφοδρῷ ὅμως μὴ ἀποκτιννύναι; lectio, quam codices aliqui et editio praebent, αἰρούμενον negligenda fuit; latet enim in hac verbum unice huic loco accommodatum αἰωρούμενον. Ficini igitur versio: vel si forte protendatur dolor adeo vehemens, ut sqq. ita mutanda est: vel si forte dolor ita suspensum et quasi cruciatum extendat hominem, quae multo gravior est sententia. De hac verbi παρατείνειν vi cf. Sturzii lexicon Xenoph. s. h. v. Idem vero Ficinus solus rectum vidit loco, qui illum proxime sequitur, (I, 4, 8. 69, 14.) ubi sapiens et bonus vir ita a vulgo hominum differre dicitur, ut etiam gravissimas calamitates fortiter ac patienter sustineat, γινώσκοντα μέν, ὅτι τινὶ φύσει τὰ τοιαῦτα οὐκ ἀρεστά, τῇ δὲ αὐτοῦ φύσει οἰστά. Sed quid est τινὶ φύσει? Ex Ficini versione:

quippe quum cognoscat, communi quidem naturae talia displicere, rescribe *κοινῇ φύσει,* ut sit *κοινός* idem quod vulgaris, humilis; sic iam supra dixerat: *τῆς ἀρετῆς, τὸ κοινὸν τῆς φύσεως πρὸς τὸ ἄμεινον ἄγειν.* — Quamvis singula quaeque in natura rerum finem suum habeant, primum tamen et summum omnium rerum finem, qui in deo sit, ab hominibus negat dispici posse in loco multis mendis corrupto V, 8, 6. (p. 1012, 1—3.) *τὸ καλῶς ἄρα οὕτως, καὶ τὸ ἐκ ζητήσεως ἂν μόλις ἢ οὐδ' ὅλως φανὲν ὅτι δεῖ οὕτως, εἴπερ τις ἐξεύροι, πρὸ ζητήσεως καὶ πρὸ λογισμοῦ ὑπάρχειν οὕτως.* Hic si *οὕτως,* ut iam ad III, 2, 15. fecimus, bis in *ὡσαύτως* mutemus, ita scribi possit: *τὸ καλῶς ἄρα ὡσαύτως,* (semper eodem modo se habet) *καί* (deleto *τό*) *ἐκ ζητήσεως — φανὲν* (expulso *ὅτι*) *δεῖ,* (eiecto altero *οὕτως*) *εἴπερ — ὡσαύτως,* ut sententia haec evadat: quod omnia bene se habent, (i. e. omnium rerum finis, summum bonum) id eodem semper modo ita est, et quia, si quaerere velis, vix et ne vix quidem tibi apparebit, etiamsi quaerat aliquis, semper illud eodem modo oportet esse ante omnem et inquisitionem et ratiocinationem. — Saepissime docet, mentem, quia cogitet, summo bono inferiorem esse, quod non cogitet, sed agat; mentem igitur se cogitantem quasi duplicem fieri, quod in unum summum bonum cadere non possit; quapropter hoc vel summum deum aeternam vim saepe nominat, cuius perpetua efficacia sit mens ab omni aeternitate ex eo progrediens. Sed obscura sunt de hac re verba III, 9, 3. (p. 659, 13.) *τὸ ἐνεργείᾳ παντὶ τῷ ἐκ δυνάμεως εἰς ἐνέργειαν, ὃ ἐςι ταὐτὸν ἀεί,* ubi iam Creuzerus vidit, *ὃ* esse eiiciendum; intelligetur autem locus, si legatur ita: *τὸ ἐνεργείᾳ πᾶν τῷ ἐκ δυνάμεως εἰς ἐνέργειαν ἐςι ταὐτόν·* haec est enim duplex illa mentis quasi natura, ut primum ex deo, qui est omnium rerum *δύναμις,* perpetuo progrediatur, (*τὸ ἐκ δυνάμεως εἰς ἐνέργειαν*) tum omnia efficiat, (*τὸ ἐνεργείᾳ πᾶν,* i. e. quod est omnia actu) sed simul eadem semper sit, numquam vere divisa. — Bonum non propter voluptatem aliquam ei admixtam, sed propter se ipsum expetendum esse cum omnibus, qui philosophorum nomine digni fuerunt, recte senserat Plotinus; huc pertinent verba VI, 7, 27. (p. 1315, 10.) *ἀλλὰ τὸ μὲν εἰ μὴ ἐποιεῖτο ἡδονῇ αἱρετέον τὸ ἀγαθὸν καὶ αὐτὸ ζητητέον,* quae Creuzerus ita explicat: sed etiamsi adipisci bonum non cum voluptate perpetraretur; at tunc dicendum fuit *μεθ' ἡδονῆς,* vel *δι' ἡδονῆς.* Certissimum mihi videtur, Plotinum scripsisse: *εἰ μὴ ἕποιτο ἡδονή,* quae verba recurrunt c. 29. in. Hoc etiam Ficinus voluit, qui vertit: profecto etiam si nulla voluptas comitatur. — Saepe intuitum illum internum, quo deum cognoscamus, cum symbolis, quibus Aegyptii olim pro literis usi fuerint, mentis vero cogitationem, quae non cuncta uno obtutu circumspiciat, sed ab uno ad alterum progrediatur, cum literis comparat, quibus vulgo uti soleamus scribentes; idem dixerat V, 3, 4. (p. 928, 1.) et ita pergit: *καὶ γινώσκομεν δὲ ἑαυτοὺς τῷ τοιούτῳ ὁρατῷ, τὰ ἄλλα μαθεῖν τῷ τοιούτῳ·* admodum vero suspectum est ite-

ratum illud τῷ τοιούτῳ, quo sententia maxime impeditur; quae verba si in altero membro deleveris, significant hoc: cognoscimus vero, tali nos visu (i. e. Dei intuitu) omnia alia discere; dictum igitur hoc iis est accensendum, quae nos omnia in deo et per deum cognoscere iubent. Paulo post (p. 928, 10.) mens cogitans id quoque cogitando scire dicitur, se cogitare; in editione et in codice vetustissimo Mon. C. legimus: (τὸ διανοητικὸν οἶδε) ὅτι κρίνει ἃ ἀνακρίνει, quae verba deleta praepositione ex reliquis codicibus ita scripsit Creuzerus: ὅτι κρίνει ἃ κρίνει· at huic phrasi, qua semper indicatur, aliquid secus se habere ac debuerit, (cf. Soph. Oed. tyr. 1376. Oed. Col. 273. 336. et saepe; paulo aliter Herm. ad Vig. p. 709) hic non est locus; permutanda erant verba, et scribendum: ὅτι ἀνακρίνει ἃ κρίνει, ita ut sensus sit: mens scit, se identidem repetitis studiis de iis iudicare, de quibus iudicium fert. — Ipsum summum bonum ita supra omnia, quae de eo praedicari possint, elatum esse, ut proprie ne essentia quidem ei attribui possit, effari solet; sed ipse sibi contradicere videtur VI, 8, 12. (p. 1365, 15.) ubi dicit: τὸ δὲ (summum bonum) τῇ αὐτοῦ οὐσίᾳ, ἀλλὰ καὶ αὕτη παρ' αὐτοῦ ἐλευθέρα καὶ ὑςέρα καὶ αὐτὸ οὐκ ἔχον οὐσίαν. At quis credat, tam inepte locutum esse Plotinum, ut in eodem enuntiato summum bonum et habere essentiam et non habere dicat? Uti in altero membro, sic etiam in priori scribendum est: τῇ παρ' αὐτοῦ οὐσίᾳ, ut essentia ex deo progrediens sit aeterna dei mens, ad quam sequentia (καὶ αὕτη κ. τ. λ.) referenda sunt. — Etiam in nobis aliquid esse, quo supra mentis cogitationem ad deum cognoscendum attolli possimus, visum illum internum, quem cum coelesti lumine comparare solet, saepe docet; sed quomodo cum hac sententia conciliaveris verba VI, 9, 8, (p. 1403, 16.) quae ita ex cod. Vaticano scripsit Creuzerus: δυνάμεσιν ἄλλαις ἢ πέφυκε τὸ νοοῦν πρὸς τὸ κατανοούμενον συνάπτειν, οἰητέον τὴν συναφὴν γίγνεσθαι· at deum non vult iisdem viribus nos assequi, quo cogitantes rem cogitatam assequamur, sed aliis, quae cogitationem ipsam transgrediantur; reliqui omnes codices rectissimam servaverunt lectionem ᾗ πέφυκε, qua recepta sententia illa, quam ratio loci postulat, restituetur.

## Epilogus.

### Quid nostra aetas ex Plotini lectione proficere possit.

Quamquam eos, qui philosophos veteres accuratius explorare student, non oportet quaerere, quae ex iis in nostram aetatem utilitas redundare possit, nullius tamen philosophi, qui vera et recta ratione philosophatus est, doctrina prorsus emortua est habenda, sed in-

sunt ei vivae quasi vires, quas posteriora saepe tempora explicaverunt et ad maturitatem protulerunt, neque nobis nunc negligendi sunt indefessi illi antiquorum labores, quibus res et divinas et humanas pia sinceraque mente cognoscere conati sunt. Neque quisquam enarrare satis poterit, quam largos iam nunc fructus haec aetas ex studiis Platonicis atque Aristotelicis laetius usque efflorescentibus ceperit, quibus si Platonicorum recentiorum, Plotini praecipue, accedet diligens atque assidua lectio, lucida illa sidera omnia, quae antiquis per tot saecula duces ad veritatem inveniendam fuerunt, etiam nobis denuo exorientur, quamvis clariori christianae religionis luce quodammmodo palluerint. Iam vero philosophia, quae hoc tempore viget, circa easdem fere difficillimas quaestiones et versatur et versabitur, quae aliquando Plotini ingenium excitaverunt atque occupaverunt; nam postquam philosophi vires animi humani, quibus verum cognosci possit, iam satis emensi sunt et aeternas illas leges, quibus et tota rerum universitas et vita humana regitur, cognoscere studuerunt, iam altius evolare coepit eorum contemplatio, et, quum omnia, quae ad interiorem aliquam hominis cognitionem pertinent, explorare cupiat, et in natura et in vita hominum deum vult agnoscere. Ethica igitur disciplina, quam etiam recentissima philosophia nondum ab omni parte excoluit, proximo tempore alacerrimis studiis tractanda erit, qua sola de rebus divinis certiores fieri et inimicitias illas veteres, quae et olim inter philosophiam et theologiam intercesserunt et nostra aetate denuo revixerunt, conciliare possimus. Quamobrem merito et nos, et eos, qui proximis temporibus vivent, quaestiones illae occupabunt de mali animo insiti origine, de vera voluntatis libertate, de animi immortalitate, de vita beata, de restituenda in nobis divina imagine, de conscientia dei, qua perpetuo agitamur et movemur, in nobis et excitanda et ita augenda, ut eius quasi lumine, quidquid vel agimus vel cogitamus, numquam non illustretur, de gratia divina in nobis efficaci, de dei hominumque communione, de ipsa denique dei natura, quoad mortalibus licet, eam ex tenebris, quibus hic cingimur, dispicere. Quae omnes quaestiones quum iam a Plotino religiosissime tractatae sint et multa inventa, quae ad eas solvendas aliquantum conferant, multo certius recentiores et iudicaverunt de iis et iudicabunt, si agnoverint, se, nisi divina Iesu Christi luce recte illustrati fuerint, nihil de iis recte dicere posse. Neque ignaviae illorum indulgendum erit, qui clamitantes, nos nihil de rebus divinis cognoscere posse, deum non patefactum sed incognitum istum ac densa quasi nube circumfusum, quem Iudaei extimescebant, sibi videntur habere. Sed ante omnia id hoc tempore agendum erit, ut numquam obliviscamur, nobis ad puriorem veri cognitionem enitendum esse, quam illa fuit, ad quam antiqui philosophi pervenire potuerunt. Multi quidem, ut olim, sic hodie, philosophiae luce non illustrati sed occoecati, quia in latis et amoenis veritatis quasi vestibulis maluerunt commorari, quam in ipsa eius adyta indefesso labore penetrare, eo devenerunt, ut de divina Christi natura, de animi immortalitate,

adeo de ipsius dei natura, non, uti putant quidam, in mundum animosque humanos dispersa sed supra omnia elata, dubitationes moverint; neque defuerunt, qui obliviscerentur, quid vera esset voluntatis libertas, nec malum radicitus animo humano insitum agnoscere vellent. Sed quanto rectius iam Plotinus de his rebus sensit, cuius os in philosophia purgatissimum et lucidum dicit Augustinus, (contra academ. p. 455. ed Basil. III, 18.) quamvis non ad plenam veritatem pervenerit. Hic vero vos, iuvenes, latissima et plenissima palaestra excipit, hic fervida vos certamina exspectant, in quibus, ne turpiter succumbatis, strenue et rectis armis pugnandum vobis est, ut emollito huic et enervato genio, quem dicunt, saeculi, a severitate et gravitate maximorum philosophorum, qui aut superiori tempore vixerunt aut etiam nunc vivunt, tam alieno, ut multi ipsis eorum decretis ad pessimos suos errores confirmandos abutantur, fortiter possitis resistere.

# Epimetron.

## Loci duo Parmenidei, tres Empedoclei emendati.

Optime hoc tempore et de duobus primis scholae Eleaticae capitibus et de Empedocle meritus est Karstenus, quem nunc in locum Heusdii, viri non minus eruditionis copia atque elegantia quam animi sinceritate insignis, successisse ex animo gratulamur. Sed quum multa doctus ille homo et sagaciter emendaverit et recte explicaverit, etiam nunc et in Parmenidis et in Empedoclis reliquiis haud pauci loci inveterato morbo laborant, qui eius acumen fugerunt et renovata aut ipsius aut aliorum studia provocant. Emendationes aliquas locorum difficiliorum nos nuper in ephemeridibus literariis Halensibus proposuimus, alias alio loco afferemus; sed quum ibi rationes emendationum copiosius non licuisset exponere, hic quasi in transitu aliquos utriusque philosophi locos pertractavimus, qui ad doctrinam eorum illustrandum aliquantum conferre viderentur. — Parmenides primus invenerat, non posse aliquid esse simul et non esse, ut Heraclitus docuerat, (fr. 72. Schl.) neque omnino dicere licere, non esse aliquid, sed, quidquid possemus cogitare, id debere esse, et ea tantum, quae essent, cogitari posse. Sic fundamentum firmissimum iecerat certiori illi rerum cognitioni, quae supra rerum, quae sensibus percipiuntur, inconstantiam ad universas menti insitas rationes cognoscendas evehitur. In iis eius effatis, quae hanc sententiam confirmant, Plato bis etiam hoc affert:

*οὐ γὰρ μήποτε τοῦτ' οὐδαμῇ εἶναι μὴ ὄντα, ἀλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα·* Soph. p. 237, a. 258, d. Priorem versum prorsus iisdem verbis laudat Aristoteles, (met. XIII, 2. pag. 294. Br.) nisi quod ultimum verbum rectius scripsit

*ἐόντα*, unde corruptum est in cod. A^b^. Bekkeri *ἐῶντα*. Denique etiam Simplicius ter hoc dicto utitur, (ad phys. f. 29, b. 31, a. 53, b.) sed verba variat; priori enim loco pro *τοῦτ' οὐδαμῇ* scripsit *τόγε μὴ ὂν*, tertio *τόγε μηδαμῇ εἶναι*, quod vitiosum esse statim patet. Laboranti metro succurrere studuit Heindorfius, scribens:

*οὐ γὰρ μήποτε τοῦτο δαῇς εἶναι μὴ ἐόντα*, quam emendationem et Stallbaumus secutus est, et Bekkerus in Platonis atque Aristotelis textum recepit. Karstenus vero, desperans in numerum illa verba redigi posse, non vult ipsius Parmenidis esse, sed Parmenideam sententiam Platonicis verbis expressam, et ita Eleatam versu orbavit gravissimo, quem omnes antea eius esse putaverant. At nonne permirum esset, Aristotelem, qui omnia semper suis oculis vidit, hic ex Platone haec verba transscripsisse, non ad ipsum Parmenidem rediisse? neque Simplicius dicta antiquorum philosophorum ex derivatis rivulis haurire solet. Accedit, quod verborum collocatio luculenter ostendit, disiecta illa versus membra esse. Scripsit vero ita Parmenides: *οὐ γὰρ μήποτε τοῦτο δαμῇς, εἶναι μὴ ἐόντα·* ut *δαμᾶν* hic praegnanter dictum sit: persuadendo subigere, scil.: ut aliquid verum esse putes, qui notissimus est usus verborum *νικᾶν*, (a re forensi desumtus, cf. Ant. 233. *τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν*) *ἀναγκάζειν*, (ut Plat. symp. p. 202. *μὴ τοίνυν ἀνάγκαζε, ὃ μὴ καλόν ἐςιν, αἰσχρὸν εἶναι*) quibuscum etiam latina verba vincere, (Cicero Cluent. p. 44. vince, virum bonum fuisse Oppanicum) cogere (Cic. ad Brut. 2, 7. hoc cogere volebat, falsas literas esse) concinunt. Graviori vero vocabulo *δαμᾶν* usus est, ut indicaret, eum, qui esse putaret, quae non essent, quasi errore subactum et a recta via seductum hoc facere. Ceterum egregie haec coniectura adiuvatur lectione codicis Aristotelici E. Bekk., qui pro *τοῦτ' οὐδαμῇ* habet *τοῦτο δαμῇ*. — Quaecunque Parmenides de singularum rerum origine disputat, ea, quod non ab omnibus recte intellectum est, neque ut sua neque ut vera proponit, sed ea aliorum placita, quae ei aliquam veri speciem habere viderentur, artificiose composuit et contexuit. Iam quum prorsus ineptum ei visum esset, ex uno principio omnia deducere, melius singula ex duobus oppositis principiis, luce ac nocte, explicari posse putabat, quum ubique lucida atque obscura mixta invenisset. Hoc duplex elementum ubique dicit dispersum esse, utriusque omnia partem habere, neque quidquam sine alterutro esse posse. Verba sunt haec:

*πᾶν πλέον ἐςὶν ὁμοῦ φάεος καὶ νυκτὸς ἀφάντου,*
*ἴσων ἀμφοτέρων, ἐπεὶ οὐδετέρῳ μέτα μηδέν,* v. 123-4. K.

quae Karstenus ita vertit: quorum utrumque est aequale, quoniam neutri inane inest; hoc in commentario ita explicat, ut *ἴσων ἀμφοτέρων* non alterum alteri par et aequale esse, sed suo quodque genere consentiens, sibi ipsi igitur esse aequale significare dicat, tum verbis *οὐδετέρῳ μέτα μηδέν* censeat indicari, nihil in neutro elemento-

rum inveniri, vacuum igitur nihil esse in universo; at huic interpretationi et verba repugnant et sententiarum nexus; nam ἴσος semper significat, unum alteri par esse, neque hoc loco, ubi de iis dicit, quae esse videantur, philosopho exponendum erat, non esse in natura nihil seu vacuum, sed hoc iam supra exposuit multis verbis, ubi de eo, quod vere esset, disseruit; cf. 77 — 80. 101 — 108. Legendum esse videtur: ἐπεὶ οὐχ ἑτέρου μέτα μηδέν, qua mutatione facta sententia haec evadit, cum praegressis bene connexa: alterum elementum alteri par est dignitate et vi, nam nihil est, quod non alterius eorum partem habeat, i. e. nihil, quod non sive lucidum sit sive obscurum.

Multum queritur Empedocles de sensuum fraude atque imbecillitate, et puriori cognitione opus esse affirmat, quae ultra incerta sensuum iudicia ad ipsam rerum naturam clare ac perspicue cognoscendam progrediatur; singulos enim sensus ea tantum percipere vidit, quae pro indole sua ac natura percipere possent, et angustissimos iis fines a natura esse positos, quos non liceret transgredi. Verba sunt haec: (v. 49 — 53. K. 347 — 51. Sturz.)

ἀλλ᾽ ἄγε, ἄθρει παμπαλάμῃ, πῇ δῆλον ἕκαςον,
μήτε τιν᾽ ὄψιν ἔχων πίςει πλέον ἢ κατ᾽ ἀκουήν,
μήτ᾽ ἀκοὴν ἐρίδουπον ὑπὲρ τρανώματα γλώσσης,
μήτε τι τῶν ἄλλων ὅππῃ πόρος ἐςὶ νοῆσαι·
γυίων πίςιν ἔρυκε, νόει δ᾽ ᾗ δῆλον ἕκαςον.

Vitiosus hiatus ἄγε, ἄθρει Karsteno debetur, non Empedocli; multo rectius iam Sturzius ediderat: ἀλλὰ γὰρ ἄθρει, neque intelligo, cur Karsteno ἀλλὰ γὰρ minus congruum hic esse videatur; recte vero vulgatae lectioni πᾶς παλάμῃ substituit παμπαλάμῃ, ad analogiam verborum πανςρατιᾷ, πανσυδίῃ, et similium formatum. Sed sequentia plus uno vitio laborant; nam quid est πίςει? quod quum et Sturzius et Karstenus imperativum verbi alicuius πιςέω esse opinati sint, ipsi sibi habeant verbum contra omnes linguae leges fictum; tum, ut tam deforme vocabulum accipiamus, secundum quidem versum intelligimus, quem ita vertit Karstenus: nec, si visu valeas, huic magis crede quam auditui; sed tertii quae tandem est sententia? Nam inepte Sturzius explicat: nec auditui quamvis egregio magis crede, quam orationi aliorum; quasi non ea quoque, quae ab aliis audimus, auribus percipiamus! Karstenus vero, Schneiderum in lexico graeco secutus, τρανώματα γλώσσης ad gustus refert perceptiones; sed τρανής de auditu tantum dicitur, unde interdum, ut fieri solet, ad visum transfertur, numquam vero de aliis sensibus, auditu et visu multo obscurioribus, dictum est. Paullulum immutata sed, nisi fallor, rectiori sententia versum 50. ita arbitror esse scribendum:

μήτε τιν᾽ ὄψιν ἔχων πίςιν πλέον ἢ κατὰ κούρην· (secundum pupillam) nam πίςιν ἔχειν τι prorsus eodem modo dictum est, ut λῆςιν ἴσχειν τι Oed. Colon. 590, quod per synesin verbi simplicis et vim habet et constructionem; dicturus au-

tem haec erat philosophus: cerne, quomodo quidque manifestum sit, nec visui magis fidem habens, quam quantum ipsa te oculi pupilla (i. e. oculus) docuit, neque auditui magis, quam quantum te clara linguae pronuntiatio docet; nam pro omni auditus genere hic a potiori nominat ea, quae fando audimus. Iam denique etiam ὅππῃ, (v. 52.) quod coniecit Karstenus, minus aptum est huic loco, quam vulgatum ὁπόσῃ, cuius haec est ratio: neque alicui aliorum, (crede) quantumcunque (per illos) via cognoscendi patet; quamquam magis omnino placeret: ᾗ ὅσον πόρος ἐςὶ νοῆσαι, quod cum praegressis optime conveniret. Patrio sermone ita fere v. 50. et 51. verterim:

Sehend glaube nur das, was im Apfel des Auges sich malet;
Nur, was hell dir die Zunge verkündete, glaube im Hören. —

Ad quatuor elementa Empedoclem omnium rerum originem retulisse, antiqui scriptores tantum non omnes, qui de philosophiae historia scripserunt, memoriae prodiderunt; sed magis coniicere possumus quam exponere, quomodo singulas res ex elementis mixtas esse putaverit, quum pauca tantum et manca fragmenta, quibus de his agatur, supersint. Sic haud scio an etiam diversos gustus ad elementorum diversitatem retulerit versibus hisce, (268—69. K. 157—58. St.) quos Sturzius ex Macrobio (Sat. VII, 5) ita edidit:

ὡς γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ' ἐπὶ πικρὸν ὄρουσε,
ὀξὺ δ' ἐπ' ὀξὺ ἔβη, θερμὸν δ' ἐποχεύετο θερμῷ.

At quum de gustibus his disputet philosophus, quid ad hos calida pertinent? Vestigia verae lectionis nobis monstravit Plutarchus, apud quem (symp. IV, 1.) ultima verba ita leguntur: δαλερὸν δαλεροῦ λαβέτω. Ex utroque scriptore Karstenus infelicissime conglutinavit haec: δαλερὸν δαλερῷ δ' ἐποχεῦτο, nam et inaudita est forma ἐποχεῦτο, et prior vocabuli δαλερός, quod iam forma sua admodum suspectum est, syllaba producenda fuit, neque sic calida pelluntur, quae pellenda erant. Sed lectionis Plutarcheae vestigiis insistentes restituamus: λάβε δ' ἁλμυρὸν ἁλμυρὸν ὧδε, quo facto in calidorum locum nobis successerunt salsa, quae maxime hic desiderabamus. — Uti hic ex Plutarcho, sic alio loco vexatissimo ex Tzetze manum Empedoclis restituisse mihi videor; sunt verba, quae de omni miraculorum genere agunt, in quibus id quoque affertur, posse eum, qui arcanis artibus initiatus sit, etiam ex imbre siccitatem, ex siccitate ventos leniter flantes reducere; iam verba, quae legimus v. 430. K. (405. St.) a Diogene Laertio (VIII, 59.) ita afferuntur:

ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τὰ δ' ἐν θέρει ἀήσαντα, unde Sturzius fecit ἀτμίζοντα· Suidas (v. ἄπνους) prorsus perverse scribit ita: τά τ' ἐν θέρει ἔσονται· Tzetzes vero: (chil. II, 906 sqq.) τά τ' αἰθέρινα θήσονται, quod Hermanno (ap. Sturzium) occasionem dedit coniiciendi: τά τ' αἰθέρι αἰθύσσονται· non male, melius certe, quam quod Karstenus posuit: κατὰ θέρος αἰθύσσοντα, prosodiae scilicet legibus neglectis; sed minime a literarum ductu lectionis, quam Tzetzes habet, discedes ita scribens: ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τά τ' ἐν θέρει ἥδος ἐόντα· nam de suavibus leniterque flantibus ventis hic est cogitandam, non de procellis, de quibus Hermannus cogitasse videtur.